DE

C. A. DUFRESNOY PICTORIS

POEMATE

quod « De Arte graphica » inscribitur

THESIM

Facultati Litterarum Parisiensi proponebat

PAUL VITRY

FACULTATIS LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI OLIM DISCIPULUS

Lutetiæ Parisiorum

APUD G. RAPILLY

9, QUAI MALAQUAIS, 9

1901

DE

C. A. DUFRESNOY PICTORIS

POEMATE



Rogerius de Piles sc.

CAROLI ALFONSI DUFRESNOY EFFIGIES

DE

C. A. DUFRESNOY PICTORIS

POEMATE

quod « De Arte graphica » inscribitur

THESIM

Facultati Litterarum Parisiensi proponebat

PAUL VITRY

FACULTATIS LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI OLIM DISCIPULUS

Lutetiæ Parisiorum

APUD G. RAPILLY

9, QUAI MALAQUAIS, 9

—

1901

FRATRI DILECTISSIMO

P. V.

PRÆFATIO

Hoc poema Caroli Alfonsi Dufresnoy latine scriptum, amplius centum et quinquaginta annis maxime floruit. Etenim in gallicam primum linguam conversum est, deinde in anglicam, in germanam, in italicam; persæpe etiam fuit editum; quarum editionum copiam mirificam index, quem thesi adjunximus, probabit. Adnotatum quoque etiam atque etiam fuit, et commentariis explicationibusque illustratum, ex anno 1668, quo primum editum est, usque ad annum 1824, ubi, ut nobis videtur, recentissima data est editio (1).

Ex hoc anno 1824, per quinque scilicet et septingentos annos plerumque neglectum fuit, et nunc paulum abest quin a nemine notum sit. Critici enim pauci, ut Ph. de Chennevières et S. Rocheblave, aliquam huic libro operam dederunt; quorum alter, cum omnia de pictura poemata enumeravit in quarta parte egregii libri « *des Peintres provinciaux* (2) », ejus mentionem fecit et quem locum habere deberet significavit inter ista poemata quæ ad artem pertinent, quæque, ut ait lepide, sepulta jacent « *dans l'enfer des peintres-poètes* »; alter, cum studuit quomodo XVII° sæculo litteræ et artes inter se congruerent, omittere noluit, et jure quidem, quanti momenti esset liber, qui inter primos propriis

---

1. Scimus tamen posteriorem fuisse translationem gallicis versibus scriptam anno 1834, quæ non adeo sapit, cujusque haud magna fuit fama, edita a nescio quo parvæ auctoritatis critico, qui tabulas hoc anno in publicum prolatas judicavit. Cf. *index librorum*. (*Salon de 1834.*)

2. T. IV. *Hilaire Pader, peintre et poète toulousain.*

et certis verbis exposuisset hanc *classicam* doctrinam a plerisque XVII[i] sæculi artificibus et scriptoribus acceptam (1).

Sed ambo longe alia mente huic poemati studuerunt ac qui omnes ante annum 1824 scripserunt et etiam in hoc anno 1824 comes de Kératry, cum suum librum dedicavit « *à l'artiste qui entre dans la carrière des arts avec le dessein d'y laisser des traces honorables de son passage, à l'homme du monde qui souhaite la parcourir avec une provision d'aperçus suffisante pour se plaire dans des appréciations motivées.* » Hoc vero consilio agebantur omnes qui præcepta vel technica poemata præteritis sæculis composuerant, et inter primos Rolandus Freart de Chambray, Nicolaï Poussin amicus, cum librum, cui inscribitur : « *Idée de la perfection de la peinture* » ediderat.

Nos vero, historico more, Caroli Dufresnoy operi studere voluimus. Multum enim abest quin hunc librum juvenibus qui artem colunt præbeamus tanquam enchiridion in quo certissimæ rationes ad opera præstantissima optimaque perficienda collectæ sint. Hanc enim ob causam præcipue ab anno circiter 1824 in oblivionem cecidit ille de Arte graphica liber, quia ex eo tempore aliquid in arte requiramus amplius liberiusque, et doctrinæ ratio minus stricta sit atque dogmatico more expressa (2).

Ceterum quibus apertum fuerit quid in lumen producere voluerimus hi certiores fient nec cujusquam de arte opinionem a nobis etiam paululum impugnari nec docendi obsoleta principia lectoribus commendari. Artificum ceterum mentes opusculo nostro, utpote latine scripto, vel minime commotum iri difficile credamus.

Omnia enim quæ nunc sentimus de arte, quantum possumus, ad explicandum et judicandum Caroli Dufresnoy opus omit-

1. Apud Petit de Julleville, *Histoire de la langue et de la littérature française*. T. v, p. 695-702.

2. Illud « *Salon de 1834* » quod Caroli Dufresnoy poematis auctoritatem invocat, ejusmodi judicia de Eugenio Delacroix et Alexandro Decamps pronuntiat quæ satis demonstrant qualia critico studia fuerint : DELACROIX. *Charles le Téméraire à Nancy — ...chevaux estropiés, terrain et ciel impossibles, couleurs sales, dessin incorrect, mauvaises carnations...* DECAMPS. *La défaite des Cimbres. — C'est une véritable mystification faite à l'art... Si un tel tableau avait du succès, c'en serait fait à jamais de la peinture en France.*

temus. Nam quærendum ante omnia nobis videtur quomodo in hoc poemate scriptor litteris mandaverit sententias ab omnibus eo tempore legum ritu acceptas, cum ars nostra, quæcumque de illa opinio haberi possit, permultum valeret et etiam floreret; quomodo nonnullæ artis rationes eo tempore eædem sint atque cogitandi rationes; denique quomodo e quibusdam ejus libri præceptis intellegere liceat, cur artifices quibusdam picturæ sculpturæque modis usi sint.

Majoris etiam Caroli Dufresnoy poema æstimabimus, si animadverterimus quo anno non editum sit (1668) sed compositum. Videbimus enim hoc prope certissime fuisse scriptum ab anno 1633 ad annum 1653, scilicet pro majore parte ante *Picturæ Sculpturæque Academiam* conditam, quo tempore nondum edita fuissent omnia hæc poemata, vel opuscula quæ circiter annum 1660 alia super alia nata sunt, cum floreret hæc ætas ordinis et legis in omni re appetentissima.

Primum igitur nobis quomodo poema compositum sit, quæ fuerint scriptoris et ingenium, et indoles, et vitæ genus, et, cum de pictore agatur, qualis ars illi propria, quærendum erit.

Operæ enim pretium est nos certiores fieri quis fuerit pictor ille, non solum doctrinæ adeo studiosus ut sententias et præcepta de arte sua scriberet, sed etiam adeo eloquentiæ cupidus ut Horatii meminerit cum poema *de arte graphica* componeret viginti certe annis ante quam Nicolaus Boileau poema *de arte poetica* in lucem proferret. Quæremus quoque quibuscum vixerit, quibus familiariter usus sit, seu cum Romæ per viginti annos et amplius habitavit, et Nicolao Poussin Petroque Mignard familiariter usus est, seu Lutetiæ, cum amicissimus fuit eidem Petro Mignard, quocum certamini se immiscuit non ignobili, quod, illi Antiquiorum et Recentiorum celeberrimæ contentioni adjungi posse videbimus.

Tum, Carolo Dufresnoy suarum partium doctrinam exponente, inquiremus quæ res, quæ tempora fuerint, cum post scriptoris mortem in lucem productum sit hoc poema et quasi telum his partibus fuerit, præcipue cum Molière hoc summatim imitatus atque interpretatus sit in suo poemate de « *la gloire du Val de Grâce* », in quo eosdem inimicos insectatur.

Deinde in poema ipsum studium vertemus; quæremus unde

originem traxerit, quæ sine dubio significare voluerit, quomodo non artem solum in medio XVII° sæculo vigentem maxime classicam nos doceat, hanc dico Nicolai Poussin, sed etiam illius doctrinæ Academiæ et Caroli Le Brun quasi prima lineamenta adumbret, quomodo etiam propter pictoris propria studia et necessitatum quarumdam intellegentiam, et ingenii moderationem atque amplitudinem, ejus doctrina multo amplior sit et plura complectatur quam hæc a plerisque ejusdem ætatis accepta : ita ut, cum renovata fuisset a Rogerio de Piles, viro non nullius ingenii, jam quodam modo et perficere sinceram et classicam doctrinam et dilatare potuerit.

Etenim cum postremo perscrutabimur quid de Caroli Dufresnoy poemate evenerit, non solum quo tempore Molière ejus sententias in gallico poemate rescripsit, sed etiam posterius, videbimus quomodo Carolus Dufresnoy, conversionis præcipue et commentarii gratia, quæ Rogerius de Piles de poemate scripserit, inter illos annumerandus sit qui dicebantur « *coloristes* », aut « *rubénistes* » et quomodo, propterea quod in ejus opere mixta fuerant et sententiæ studiaque privata et doctrinæ classicæ principia, per amplius centum et quinquaginta annos floruerit non minus quam propter ipsius poematis auctoritatem atque jucunditatem.

CAPUT PRIMUM

I. — Nascitur *Carolus Dufresnoy* et educatur. — Primum studet, *Francisco Perrier* et *Simone Vouet* magistris. — Quid *Simo Vouet* apud Carolum Dufresnoy valuerit. — De *Simone Vouet* et xvii[i] sæculi pictoribus. — Romam proficiscitur Dufresnoy.

II. — *Romæ* aspera habet initia. — Quæ fuerint ejus prima opera. — Romam venit *Petrus Mignard*. — Utriusque amicitia. — Exemplaria tabularum ab *Annibale Carratio* effingunt, una laborantes. — Nonnulla Petri Mignard et Caroli Dufresnoy opera. — Valde *Titiani* opera miratur Dufresnoy. — Quid sine dubio de pictura Italicorum æqualium senserit. — Nonnullos cognovit pictores, Carratiorum discipulos.

III. — Num familiariter *Nicolao Poussin* usus sit. — De Nicolai Poussin amicis, et de classica doctrina. — De libro *abbatis de Chambray* « *Idée de la perfection de la peinture* ». — Quomodo natum sit Caroli Dufresnoy de pictura poema. — Quo certo tempore compositum fuerit.

IV. — Roma profiscitur. — *Venetiis* diu permanet. — *Lutetiam* advenit. — Advenit etiam paulo post Petrus Mignard. — Una vitam agunt et laborant. — Quas picturas effinxerint in ædibus domini d'*Herwart*, in « *Val de Grâce* ». — Nolunt se in *Academiam* cooptari. — Quare. — De rivalitate *Petri Mignard* et *Caroli Le Brun*, et Antiquiorum Recentiorumque contentione. — Poema retractat Carolus Dufresnoy ut edatur. — Morbo affectus, moritur anno 1668.

I

Carolum Alfonsum Dufresnoy, Lutetiæ atque honesto loco, esse natum refert Felibianus; planius ceterum e Rogerio de Piles scimus ejus patrem non ignobilem fuisse pharmacopolam. Filius autem, anno 1611 natus, a parentibus medicinæ arti destinabatur. Omnibus igitur classicis doctrinis est eruditus narrantque qui ejus vitæ memoriam scripserunt, eum his liberalibus institutis valde

profecisse, atque adeo etiam ad poesim exarsisse ut florere potuisset inter ejus ævi poetas clarissimos. Altero autem et majore victus ardore, ad picturam et studium convertit, paulo serius fortasse, et spem gloriæ futuræ.

Illa tamen prima et exquisita disciplina, hic poesis amor, quo inde a collegio flagravit (quæ poesis, ut tunc fieri solebat, latina sine dubio erat), accurate sunt notanda, quia nobis rationem reddunt quemadmodum postea Carolus Dufresnoy potuerit ad artem suam tractandam consilii lucem petere ab auctoribus quorum opera longissime fuissent ab indocti pictoris intelligentia remota, seu antiquo ipso fonte hauserit, seu ex rivulis qui per totum XVI[m] sæculum discurrerant, hos libros dico in quibus hujus temporis docti et epitomas et judicia congerere solebant. Aperiunt nobis causas cur pictor sententias et præcepta latinis versibus incluserit, cum molestiæ sit hæc scribendi forma recentiori saltem auctori, mentis cogitata explicanti.

Attamen adolescentis studio parentes non favebant; nempe, ut ait Rogerius de Piles (1) : « *Ils n'avaient qu'une idée basse de la peinture et ne la regardaient que comme un vil métier et non comme le plus noble de tous les arts.* » Qui, quidem, et ipsa mater, nihil, ut a consilio eum deterrerent, omiserunt(2); sed nihil profecerunt, et, ut his temporibus dicere solebant, adolescens « *se débaucha* ». Jam annos viginti natus, Lutetiæ primum discipulus fuit *Francisci Perrier,* qui Romæ, Lanfranco magistro, didicerat; deinde, clarissima illectus fama artificis, qui non multis annis ante ex Italia, ubi annos quatuordecim fuerat, in Galliam redierat, secum afferens hoc « *gran gusto* », a quo reficeretur schola et recrearetur, hujus, nomine *Simonis Vouet*, in disciplinam convenit, ut pictorum plerique, qui per mediam XVII[i] sæculi partem maxime floruerunt, Le Brun dico et Le Sueur atque Mignard. Ibi vero cum Petro Mignard sibi amicitiam conciliavit duraturam per vitam totam, ex qua multa consecuta sunt quæ infra demonstrabimus.

Diutissime autem Simonem Vouet non secutus est. Nam post annum alterum quo, invitis parentibus, pingere cœperat, Ca-

1. *Abrégé de la vie des peintres*, p. 484.

(2) *Ses parents,* ait Rogerius de Piles, *se servirent de tous les mauvais traitements dont ils purent s'aviser pour le détourner de sa résolution.*

rolus Dufresnoy, Romam profectus est, studiosissimus ipse Urbis et appetentissimus, ut jam ab initio sæculi, nescio quo fato, fuerant alii Gallici pictores. Adhortationi ceterum illi erat utriusque magistri exemplum. Uterque enim ut hoc iter quasi sacrum perficeret multa molestaque tulerat, et Franciscus Perrier, aurificis filius, qui dicitur propter rei pecuniariæ inopiam non recusavisse quin cæci cujusdam, ad Urbem quoque iter habentis, rector fieret, et Simo Vouet, quem scimus viam usque ad Constantinopolin flexisse, et, viginti annos natum, esse profectum, ut domino de Saucy comitaretur, qui ad Turcarum principem fuerat legatus.

Quid autem fructus e Simonis Vouet disciplina Carolus Dufresnoy ceperit, quantamque ei gratiam retulerit, difficile dictu est, cum nunquam ipse de his rebus locutus sit, nec supersit opus ullum ab eo illo tempore vel pictum, vel adumbratum. Jucundissime tamen postea in mentem ejus venisse hanc Simonis Vouet disciplinam non credimus. Nam cum, ut ita dicam, in *classicorum* artificum cœtu conscriptus fuisset, tum verisimile est Carolum Dufresnoy nihil aliud quam sprevisse quos Rolandus Freart de Chambray appellabat « *Cabalistes et peintres libertins* » [quia imperiti erant præceptorum hujus artis doctæ ac superbæ, quæ sola his classicis artificibus summa ars videbatur], illos scilicet « *strapazzoni, qui travaillaient en sifflant* (1) », ut dicere solebat Nicolaüs Poussin, qui eos oderat, quod ejus patientia, cum Lutetiæ esset, annis 1641-1642, eorum factionibus victa fuisset.

Atqui horum artificum clarissimus et Nicolaï Poussin in primis æmulus erat Simo Vouet ipse. Felibianus quoque, Nicolaï Poussin amicus, in suis « *Entretiens* (2) » fatetur quidem gallicos pictores, Simone Vouet magistro, valde profecisse, sed affirmat : « *que celui-ci ne pouvait ordonner un tableau sans voir le naturel ; qu'il n'avait pas un goût exquis dans les ordonnances, non plus que dans le dessin ; qu'il ignorait la perspective et ne savait ni l'union, ni l'amitié des couleurs.* » Ceterum Rogerius de Piles, qui Caroli Dufresnoy sententiam subsequitur, longius etiam progreditur, adeo ut manum ejus in pingendo velocem incuset istumque modum celerem, qui ei summæ laudi esset, et addat etiam (3) « *Sa ma-*

1. Cf. *Epistolæ*, 20 Augusti 1645. Ed. Quatremère de Quincy, p. 225.
2. III. 315.
3. *Abrégé de la vie des peintres*, 457.

nière était si peu naturelle, si sauvage et d'ailleurs si facile et reçue avec tant d'avidité qu'elle a infecté l'idée de tous ses disciples jusqu'à leur faire prendre une habitude dont ils ont eu toutes les peines du monde à se défaire. » Nonne eadem significat ipse Carolus Dufresnoy, cum in sui poematis fine, consilia quædam de usu affert et hæc scribit (1) :

. . . . nil sub limine primo
Ingrediens Puer offendit damnosius Arti,
Quam varia errorum genera ignorante Magistro
Ex pravis libare Typis, mentemque veneno
Inficere, in toto quod non abstergitur ævo.

Hæc sine dubio recordatio est hujus disciplinæ qua a Simone Vouet fuerat imbutus. Illam spernit, ille est « *magister ignorans* ». Rogerius de Piles quoque in Adnotationibus (2) eumdem significat artificem, cum notat : « *Ces méchantes manières qui ont été en France* », vel cum artifices monet, ut ex Artis fontibus ipsis hauriant, non ex his rivulis « *quelquefois bien troubles et boueux, je veux dire à la manière de leurs maîtres* ». (3)

Nulla ceterum magis sunt contraria (quod accuratius infra demonstrabimus), quam quæ ars docta et prudens a Carolo Dufresnoy in poemate suadebitur, atque quæ splendida ars et facilis a Simone Vouet ejusque discipulis exercebatur. Adde quod hanc vim hancque facilitatem Carolus Dufresnoy non e suis studiis sumpsit. Aperte enim fatentur ejus amici et qui vitam ejus scripsere, eum tarde et operose laboravisse ; quod planius etiam facit Rogerius de Piles his verbis (4) : « *soit que sa profonde théorie lui retint la main, etc.* » (Eadem vero sentit Ph. de Chennevières qui eum incusat quod in doctrina rationibusque constituendis nimis laboris temporisque consumpserit), « *soit que, n'ayant appris de personne à manier le pinceau, il eût contracté une manière peu expéditive* ».

Quid ergo a Simone Vouet doctus fuisset? Utrum ejus recordatus sit an fuerit ingratus incerti sumus. Nonne ceterum ejusmodi sunt plerique artifices, qui Simonem Vouet habuere magis-

1. V. 422-427.
2. Adnotatio in versum 422.
3. In versum 39.
4. *Abrégé de la vie des peintres*, p. 486.

trum, atque etiam qui maximum ex ejus disciplina fructum perceperunt, quorum in ingenio tanquam formam suam magistri ingenium impressit? Etenim, cum artis classicæ rationes edictæ sunt, constitutaque est Academia, anno circiter 1648, tum Simo Vouet mirum in modum jacuit. Stomachans igitur secutus est magistrorum partes et illis auctoribus scholam aperuit rexitque, nec satis ei vitæ fuit, ut ad alteras partes tandem transgrederetur, quod postea fecit Petrus Mignard, qui primum recusaverat quoque ne Caroli Le Brun Academia contineretur. (1)

Carolus Le Brun autem, qui Academicorum partium quasi corypheus erat, nullos magistros unquam vindicat alios nisi et antiquos, et Raphaelem et Nicolaum Poussin. Ingratus quidem magis fuit quam Carolus Dufresnoy, qui videtur ex his tabulis quas manu incallida et quasi timida pinxit, vel ex his quæ constituit principiis, artem sibi proposuisse severiorem ac doctiorem. Carolus Le Brun autem quamcumque doctrinam in Academia est professus, Simonis Vouet tamen disciplinam reipsa non oblitus erat. Testes sunt illæ magnæ tabulæ quæ tantum *decorativæ* dici possunt. Ne multa, quanta esset fama Nicolai Poussin, præcipue post ejus mortem, hæc ars nuda atque elata quam et verbis et operibus suaserat, pariter ac Eustachii Lesueur mollis ars et blanda, non frequens unquam fuit; illius autem artis velut scenicæ et « grandiloquentis », quæ Ludovico XIV regnante, floruit, et præcipue a Carolo Le Brun accepta fuit, Simo Vouet auctor est.

Diximus vero supra nullum a nobis opus esse notum, quod Carolus Dufresnoy, priusquam Romam profectus sit, fecerit; reperimus tamen, in *« Cabinet des Estampes »*, inter scalptoris

---

1. Quæ schola « *de la maîtrise* » dicebatur quoque « *école académique* ». Anno tantum 1649 Simonem Vouet mortuum esse nostris temporibus satis probatum est, non anno 1641, ut dicebant Felibianus aliique scriptores. Qui eo tempore de quo agitur bellum adversus nascentem Academiam ducit, sed Simonis Vouet partes non fieri potest ut neque Dufresnoy neque Mignard tunc secuti sint, quamvis ipse Vitet utriusque mentionem faciat, quia tunc ambo in Italia adhuc erant.

Cf. Guillet de Saint-Georges. *Mémoires inédits* I. p. 221-222. — Vitet. *L'Académie royale de peinture et de sculpture*, p. 83-229. — Lemonnier. *L'art français au temps de Richelieu et de Mazarin*, p. 183.

Stephani Picart opera, nonnullas Sanctorum effigies, quarum præstantissimis inscribitur : « *Simo Vouet invenit* », aliis brevius « *S. V. in.* », uni (1) denique « *A. D. in* », Quæ duæ litteræ an Alfonsum Dufresnoy significent, qui Simone Vouet dirigente, laboravisset, satis dubium est. Ceterum parvum est opus et vulgare.

II

Denique Carolus Dufresnoy Romam advenit, anno 1633, ut ait Dargenville, vel anno 1634, ut Rogerius de Piles, vel etiam, ut Felibianus, exeunte anno 1633 aut ineunte anno 1634. Advenerat igitur, ne multa, inter Nativitatem et primum incipientis anni diem. Durissima orsus est initia, ut Nicolaus Poussin decem annis ante, nedum pecuniam fecerit. Propriis enim opibus, quia non jam parentibus curæ erat, vitam sustinere debuit, narratque Felibianus juvenem ea, quam didicerat, geometria eaque prospectica usum fuisse, ut « architecturas » pingeret atque « ruinas », quas venderet. Ceterum dum hæc pingit, tum et antiquis operibus assuescebat, et mentem curiosam ad graphidis principia distinguenda intendebat.

Quo tempore, etsi neque amici Carolo Dufresnoy Romæ erant neque, ut ait ejus vitæ scriptor (2), patroni, perstudiose tamen laborabat. Sed ejus amicus, Petrus Mignard eum convenit et potuit, ut ejusdem scriptoris verbis utar, « *le mettre un peu plus au large.* » Tunc una habitaverunt, laboraverunt una, una quoque de labore disputaverunt; nam, et id accurate notandum est, dum hi « *inséparables* » maximo studio incumbunt ad Raphaelem et Antiquos, vel in Academiis ad graphidis scientiam, « *ils ne faisaient rien de ce qui regarde leur profession sans en faire un examen très exact.* » (3)

Curiosus etiam præcipue Carolus Dufresnoy erat ad qualiacumque artis principia investiganda, et multus profecto erat in his amicorum intimis pressisque colloquiis. Majore ceterum doc-

1. Hæc effigies est sororis « *Grâce de Valence* », tertii ordinis minimarum. + 1606.

2. Cf. R. de Piles *op. cit.* p. 485.

3. Félibien. *Entretiens* IV, 332.

trina quam amicus suus, Carolus Dufresnoy erat eruditus. Græcæ enim linguæ non ignarus, antiquos scriptores lectitabat pariter atque recentiores. Sed plura dicemus infra de his auctoribus in quibus quasi principia hausit hujus doctrinæ, quam mox præcepturus erat in libro, cui, ut ita dicam, nunquam non operam aliquam impendit. Sed, ut ad propositum revertar, quales ambo nobis depinxit *Lépicié* (1), qui, XVIII° sæculo, Petri Mignard vitam scripsit, tales in mentem veniunt nostram, alter poetas legens, alter figuras imaginesque adumbrans, quas descripserat amicus cujus doctrina exquisita admirationem gaudiumque excitabat. Liceat quoque adhibere hunc Felibiani locum (2), ubi descripta est amicitia illa conjunctissima. « *L'amitié qu'ils avaient l'un pour l'autre était exempte de toute sorte d'envie. Ils n'avaient rien de secret ni de particulier. Les biens de l'esprit comme ceux de la fortune leur étaient communs. Chacun faisait part à son compagnon des connaissances qu'il acquérait dans son art, et ils n'étaient point plus contents l'un de l'autre que quand ils se pouvaient rendre de mutuels services.* »

Ea cum esset utriusque amicitia, quid mirum si, cum quid alterutri operis advenerat grande, fructum inter se dividerent. Atqui non multo postquam Petrus Mignard Romam venerat, venit quoque ejus frater natu major, nomine Nicolaus Mignard, qui Lugdunensem Cardinalem, cardinalis de Richelieu fratrem, comitabatur. Qui illi pictori, quem secum Romam adduxerat imitandas dare voluit illas tabulas ab Hannibale Carraccio pictas, quæ in Farnesianis ædibus erant. Illi autem tantum incipere opus licuit, quia in Galliam est revocatus propter res privatas atque amores. Ardebat enim amore Avennicæ puellæ, quam, ubi rediit, uxorem duxit (3). Amici igitur, cum opibus minime florerent, benigne hoc opus acceperunt.

Sunt enim quædam a Nicolao Mignard incisa, quæ hujus decorationis partes effingunt, id est Herculem, Ganymeden et Ulyssem apud Circen. Quibus hæc subscripta :

« *Hannibal Carratius Bononiensis Pictor eximius invenit et pin-*

---

1. Cf. *Mémoires inédits de Guillet de Saint-Georges*, II, 86-97.
2. *Entretiens*. IV, p. 334.
3. Cf. Cte de Caylus, *Vie de P. Mignard* in *Vie des premiers peintres du roi* (1751).

xit Romæ in ædibus Farnesianis (1607). Nicolaüs Mignard, Pictor Threcensis ad prototypi instar delineavit Romæ et in aqua forti incidit Avenione (1637). (1)

Quæ a Nicolao Mignard incisa sunt e delineationibus quas e Roma retulerat; quas vero tabulas pinxere ejus frater et Carolus Dufresnoy, in manibus Antonius Coypel, ut videtur, XVIIIº sæculo, habebat. Ubi autem nunc sint nescimus. Attamen liceat nobis notare quantum hujus laboris causa, Carolus Dufresnoy, vix picturæ deditus, operibus quibusdam studuerit doctissimi pictoris Bononiensis, qui XVIIº sæculo hujus auctor fuit doctrinæ quam appellaverunt « *l'éclectisme* ».

Aliane autem postea fuerint opera, quibus faciundis amici laborem communicaverint, nescimus, etsi quædam fuisse credimus. Miramur etiam quod Carolus Dufresnoy non fuerit adscriptus pariter ac Petrus Mignard ad numerum juvenum pictorum, quibus utebatur Nicolaus Poussin ut exemplaria fingerent variarum tabularum, quæ in ædibus Farnesianis erant et in quibusdam Romæ ecclesiis. Quas tabulas ab illo postulabat amicus ejus Paulus Fréart de Chantelou. Mentionem quoque facit Nicolaus Poussin Lutetia redux in litteris anno 1643 scriptis (2), de *Errard, Nocret, Le Rieux, Le Maire* et *Mignard,* nosque commonet quoties impeditus fuerit in regenda hac parvula, ut jamjam ita dicam, gallica Academia Romana (3). Eodem quoque tempore scimus Petrum Mignard incepisse has pingere effigies quibus est nobilitatus, hasque virgines quæ modo ab æqualibus dicentur « *les Mignardes* ». Pinxit quoque inter maxima opera *Saint Charles communiant les pestiférés*, quam tabulam habuit ecclesia dicta « St-Charles-des-Quatre-Fontaines ». Cujus operis maxime classica ars est atque ordo pressus, unde aperte apparet quibus præceptis imbutus eo tempore laboraret (4).

---

1. Cf. Cabinet des Estampes, *Œuvre gravé de Nicolas Mignard.*

2. Cf. *Epistolæ scriptæ* : 9 junii, 22 junii et 4 augusti 1643, éd. Quatremère de Quincy, p. 123-131.

3. Queritur præcipue quod « *ces jeunes gens veulent se faire payer à leur mode* » et alias addit etiam « *Le sieur Nocret fait le diable, je ne sais pourquoi* ».

4. Quæ tabula a Maubert scalpta fuit. Cf. *Cabinet des Estampes,* — *Œuvre de Mignard,*

Ipse autem Carolus Dufresnoy non desidiæ socordiæque se dabat. Nam certiores sumus nonnullas tabulas ab illo fuisse pictas, quas inter notat Felibianus (1) :

Ruines du Campo Vicino.
Jeunes Athéniennes faisant un sacrifice sur un tombeau (2).
Énée portant son père au tombeau.
Mars rencontrant Lavinie sur le bord du Tibre (3).
Naissance de Vénus.
Naissance de l'Amour (4).
Joseph et la femme de Putiphar (5).

Mentionem quoque facit Felibianus, quod nostri majoris interest, multarum Titiani tabularum quarum Carolus Dufresnoy Romæ exemplaria fecit. Firme ceterum Felibianus (6) sic asseverat : « *il avait une estime particulière pour les tableaux de cet artiste, et il prenait un plaisir singulier à les voir et à les copier* ». Pinxisset etiam Carolus Dufresnoy eodem tempore tabulam de *La Mise au tombeau*, in qua non artem solum Carratiorum, verum Titiani etiam secutus esset. Accuratissime quidem hæc notanda sunt, si intelligere volumus quibus præcipue auctoribus et ars creverit, et condita fuerint principia Caroli Dufresnoy, præsertim cum nihil inconsulte faceret.

Denique aliisne operibus, præter antiqua Raphaelisque, Car-

---

1. Cf. Félibien, *Entretiens*, éd. 1705, t. IV, p, 332.

2. Ambo pictæ sumptibus domini *Le Tellier de Marsan* Lutetiæ, vivente Felibiano, erant in domo domini *Passart, maître des comptes.*

3. Pictæ domino *Perochel, conseiller ;* nunc, ut ait Felibianus, apud « *le président Robert* ».

4. Ambo pictæ sumptibus domini *Perochon* Lugdunensis. Nonne sunt quas XVIII° sæculo Fredericus II emit, et nunc habet Novum Palatium Postdami ? Cf. *Tabularum Caroli Dufresnoy index.*

5. Picta sumptibus domini *de Berne, conseiller à Lyon.* Nulla hodie est Caroli Dufresnoy tabula in Lugdunensi Musœo. Sed, quod ad hanc tabulam pertinet, vidimus in collectione privata tabulam cujus idem est argumentum, quod a *Pietro da Cortone* fuisse pictum dicitur. Utrum merito, an hæc sit Caroli Dufresnoy ipsa tabula ? Affirmare nolumus, sed haud dubium est quin hæc fuerit una ex his tabulis quas et novisse potuerit et imitari.

6. Félibien, *ibid.*, p. 333.

ratiorum et Titiani opera, Carolus Dufresnoy Romæ uti potuerit inquirendum est, et præcipue quorum studiosus fuerit. Atqui senescebat et in pessum ruebat ars italicæ picturæ. Nemo enim fere Carratiorum mortuorum qui pictorum Scholam disciplina regere conati erant, præter Dominicanum exempla secutus erat, quem unum, his temporibus, non parvi fecit severus ille judex, Nicolaus Poussin. Ceteris vero Josepino, Cirro Ferri, Sassoferrato, Petro da Cortone, Carolo Maratta, ars erat corrupta odiosaque, nec Carolo Dufresnoy, si fidem ejus severis principiis habuerimus, multo majoris erat æstimanda quam ejus clarissimo magistro.

Haud tamen dubium est quin pictoribus jam ætate provectioribus usus sit, ut Guido Reni, Guercino et Francisco Albani, volueritque ab illis poema comprobari, consiliaque sibi dari. Nonnulla enim principia enumerat Rogerius de Piles (1) quæ a Francisco Albani Carolus Dufresnoy doctus erat, vel plura illi a Guido Reni dicta. Scimus quoque eum tabulam scalpsisse Dominicani in qua pictor effinxerat *L'Entrevue de St-Nil et de l'Empereur Othon*.

Usum quoque Carolum Dufresnoy fuisse verisimile est, etsi tacent ejus vitæ historici, Francisci Albani quodam discipulo, nomine Andreas Sacchi, cujus tabulam *L'Ivresse de Noé* (2) expressit. Cujus pictoris, si Dargenville (3) sequimur, indoles cum Caroli Dufresnoy mire congruebat, nam ait ille : « *Plus grand dessinateur que l'Albane, ses idées étaient élevées ; il donnait beaucoup d'expression à ses figures, avec un grand goût de draperies ; tout cela était accompagné d'une simplicité qu'on trouve peu dans les autres tableaux... Il avait formé son goût d'après tous les grands maîtres. . Personne n'a fait sur la peinture des réflexions plus sensées que le Sacchi.* » Ille igitur unus ex his pictoribus fuit qui verbis et exemplis Carolo Dufresnoy pleraque tradide-

1. In v. 61 et 152. Etiam in adnotationibus latinis quas editioni principi addiderat Petrus Mignard, quasi Dufresnoy ipse locutus esset, legimus nonnunquam *ut aiebat Guido Rhenus — ut Albanus* — etiam de quodam versu *ut ex ore Annibalis Albanus retulit mihi*. Vide infra. *Appendix*.

2. Quam tabulam Caroli Dufresnoy habet nunc Musæum Cadomense. Cf. Mancel et Guillard, *Notice des tableaux du Musée de Caen*, n° 162.

3. Dargenville, *Vie des peintres*.

runt, quæ Carratii docuerant, cum sapientissimi illi magistri in Academia, quam Bononiæ statuerant, ante omnes alios, artis præcepta via et ratione condiderant.

III

Quatenus vero, quod maxime quidem ad rem pertinet, Carolus Dufresnoy Nicolao Poussin uti potuerit, parum nos scire fatendum est. Familiariter enim quodam modo Carolum Dufresnoy Nicolao Poussin usum fuisse nullo in loco dicunt nec Rogerius de Piles, nec Felibianus, nec Fréart de Chambray, nec Bellori, nec Dargenville, nec ceteri. Omnes etiam epistolas a Nicolao Poussin scriptas legimus, neque Caroli Dufresnoy nomen usquam invenimus. Legitur quidem in nonnullis epistolis hoc nomen *M. du Fresne*, sed quamvis Nicolaus Poussin non semper optime nomina scripserit, nec accurate ejus editæ fuerint epistolæ, quippe quæ graviores etiam errores nominum habeant (cf. *Perlan* pro *Poissant*) (1), dubium tamen non est quin ille vir non idem fuerit ac Carolus Dufresnoy. Ceterum scimus hunc fuisse *Raphaelem Trichet du Fresne, correcteur de l'Imprimerie Royale*, qui postea librum de pictura a Leonardo scriptum edidit.

Vitam quidem agebat Nicolaus Poussin in Monte Pincio solitariam. Attamen nonnunquam Gallis illis, qui tunc Romæ erant, familiariter utebatur. Testis est Felibianus. Gallici quoque juvenes, qui picturam colebant, eum sine dubio, cum Romæ essent, præcipue post annum 1642, tanquam patroni loco habebant atque magistri, et consilia auctoritatemque ab eo petebant (2). Porro, etsi nulla res documento est, e doctrinæ similitudine, ex ingenii congruentia, e pluribus locis in principiis similibus, denique ex eadem erga artifices quosdam amicitia, quæ omnia infra

1. Cf. Ph. de Chennevières : *Essai sur l'histoire de la peinture française*, p. 192 sqq.

2. Carolum ipsum Le Brun accepimus ex *Vita* a pictore quodam nomine Nivelon scripta, nec adhuc typis mandata, familiariter cum Romæ esset Nicolao Poussin usum fuisse nec consilia omisisse. — Cf. H. Jouin, *Charles Le Brun*, p. 57-58.

notanda erunt, haud multum abest quin credamus Carolum Dufresnoy non minima consuetudine cum Nicolao Poussin fuisse conjunctum.

Nisi forte Carolus Dufresnoy particeps fuit horum sermonum de quibus Bellori locutus est (1) : « *Parlava bene spesso dell'arte e con tanta evidenza delle cose che non meno li Pittori, che gli altri homini ingegnosi venivano per udire della sua bocca li più belli sensi della pittura che non a studio d'insegnare, ma nelle occorenza proferiva* », at saltem auditor fuit, et illo austero spiritu ac forti, qui omnes Nicolai Poussin familiares agebat, ut ita dicam, afflatus est. Quos inter et Errard ingenium aluit, qui postea hanc gallicam Academiam, quæ Romæ fuit, rexit, et Felibianus ipse fratresque Fréart de Chantelou, qui omnes Romæ nunc longum, nunc breve manserunt tempus, familiarissime Nicolao Poussin usi sunt, et ita doctrinam de arte sibi finxerunt. Classica vero doctrina ab omnibus colebatur, etiam « classicissima », maximaque debebatur reverentia et Vitruvio et Johanni Lomazzo.

Non iis insuper satis erat hunc novisse librum quem idem Lomazzo, triginta circiter annis ante, e Leonardi de Pictura libro scripserat, sed clarissimi hujus artificis manuscripta ipsa nonnulla legebantur. Quorum eques Cassiano del Pozzo exemplar habebat, quod Nicolaus Poussin figuris ornaverat, quodque in Gallicum paulo post convertit Fréart de Chambray, anno 1651, dum a Raphaele du Fresne italice editur. Unde fieri potest ut Carolus Dufresnoy hoc exemplar vel aliud in manibus habuerit nonnullaque etiam ex illo ante hauserit quam et editum et conversum fuisset anno 1651.

Quam ob rem, cum imperiosa principia in Carratiorum schola floruissent, cum regulæ tam amans esset Nicolai Poussin ingenium, tamque fidens eximiæ formæ pulchritudinis ipsius ab antiquis inventæ atque effictæ, cumque huic artifici ratio et voluntas constituendæ arti præessent, quid mirum si, in hac artificum societate, artis ratio decreta quodam modo, et arcessita, et rigida esse videretur, si legem omnes crederent et fieri posse et necessariam esse?

---

1. Cf. Bellori, *Le vite de pittori, scultori et architetti moderni*, p. 407-412.

Eadem ceterum jam anno 1640 sentiebant illi artifices atque fecerunt plerique Gallorum qui per mediam XVII[i] sæculi partem vixerunt. Nicolaus Poussin ipse scribere cupiebat suas *Observations sur le fait de la peinture*. Hoc autem opus primum in posterum distulit, deinde neglexit omnino. Sed si quis liber maxime hanc doctrinam propriis verbis etiamque arctissimis concipit et quasi magistri ipsius judicium redolet, is profecto est quem scripsit abbas de Chambray, *L'idée de la perfection de la peinture* (1). Scriptor enim acriter incusat eos qui normam recusant, et quos appellat « *les libertins de l'art* » ; tranquille, constanter, dure etiam, tanquam geometrico more, præcepta vult nobis dare normamque sentiendi, et illud præcipue demonstrare quod appellat « *la boussole dont les anciens se servaient pour leur conduite* »; denique Raphaelem judicat speciem ipsam summi pictoris esse, et Buonarotti inter illos « *libertins* » indoctissimum dementissimumque atque audacissimum existimat.

Erat quidem Carolus Dufresnoy horum artificum qui ita sentiebant loquebanturque, cum poema scripsit, sed quia ingenium illi erat fortasse ad intelligendum aptius, major rerum operumque contemplatio, majorque sine dubio artis usus, doctrinam constituit neque tam absolutam, neque tam angustam quam abbatis de Chambray. Sed de hoc pluribus, cum de ipso poemate dicemus.

Cui poemati Carolus Dufresnoy per totam vitam operam dedit. Propemodum enim constat eum, ubi Romæ fuit, libri scribendi consilium cepisse. Ait enim Felibianus : *Dès ce temps-là, et même pendant son travail, il s'occupait à faire des vers pour exprimer ses pensées*(2). Loquebatur quoque de illo cum amicis, opera clarissimi cujusque pictoris visebat, scriptores gravissimos lectitabat. Attamen videbimus Carolum Dufresnoy (quod inter librorum dogmaticorum scriptores rarissimum), quamvis multa legerit multasque sententias e quibusdam libris sumpserit, totam sapientiam non compilavisse, quippe qui et plura ipse viderit et plura secum cogitaverit. Qui enim vitam ejus scripserunt, et ipse etiam satis dixere quam studiose et quamdiu cogitavisset. Ceterum

1. Par Roland Fréart sieur de Chambray. Au Mans, 1662, 8°.
2. Cf. *Entretiens,* IV, 332.

manifesto certiores sumus hunc librum non subitum fuisse scriptum sed meditatum et maximo usu ortum.

Quo certo tempore opus scriptum sit difficile dictu est, quamvis ultimi poematis versus annum indicare videantur :

Pauca sophismata sum graphicâ immortalibus ausus
Credere Pieriis, Romæ meditatus, ad Alpes
Dum super insanas moles inimicaque castra
Borbonidum decus et vindex Lodovicus Avorum
Fulminat ardenti dextra, patriæque resurgens
Gallicus Alcides, premit Hispani ira Leonis.

Rogerius quidem de Piles, in hoc loco auctor gravissimus, dicit Lodovicum esse « *Louis XIII* » unde necesse est poema compositum fuisse ante annum 1643.

In latinis etiam principis editionis adnotationibus legimus sub his versibus : *Romæ anno 1640 et quinque sequentibus annis*. Hoc autem bellum a Ludovico XIII confectum quod sit plane nescimus, cum quod unum hi versus potissimum designare viderentur (*le Pas de Suze*) multum ante gestum sit quam Romam Carolus Dufresnoy advenerit (1).

Ambigua fere igitur hæc omnia, nec quo certo tempore compositum sit opus dici posse nobis existimandum est. Nam, ut in his versibus non quando opus scripserit Carolus Dufresnoy significari videtur, sed quando jam cogitaverit, sic legere licet in hac epistola ad Colbertum dedicatoria, præscripta in initio primæ editionis, cui litteræ impositæ sunt C. A. D. F., (etsi mortuo jam Carolo Dufresnoy edita fuit, nec certum habemus hanc epistolam a Carolo Dufresnoy ipso fuisse scriptam). « *Recensui ergo quæ ante annos duos et triginta Roma de pictura meditabar, carmine scripta, ut ætas juvenilis et artis utriusque cognatio suaserat.* » Illum tamen constat, ut aiunt Rogerius de Piles et Felibianus, certis quotidie notavisse verbis quæcumque de picturæ

1. In adnotationibus cujusdam editionis XVIII° sæculo datæ, cum novo poemate, auctore Watelet, legimus hoc versu designari « *les succès de nos armes dans le Milanez et le Piedmont vers 1643-44* », et Alcidem illum nihil aliud esse quam « *le vainqueur de Rocroy, le jeune duc d'Anguien* » sed difficile credamus propter supra Rogerii de Piles laudata verba.

arte cogitavisse et præceptorum suorum eo modo numerum auxisse.

Quam vero libri partem jam scripserat quibusdam, cum in Italia adhuc esset, communicaverat (1). Coram quibus etiam legisset refert Felibianus qui in Italia quoque fuerat et artificibus familiariter usus erat. Haud igitur dubium est quin Carolus Dufresnoy maximam poematis partem, licet plura reficere, addere et emendare potuerit, cum otium haberet et librum edere voluisset, prius tamen scripserit quam Roma profectus fuerit, et sibi hoc laudi dederit in sermonibus cum aliis artificibus, quorum perpauci sine dubio latinos componere versus adeo eleganter possent.

IV

Quidquid id est, anno 1653 Carolus Dufresnoy Roma profectus est, qua in urbe viginti annos permanserat, propter res familiares in patriam rediens. Has quidem credam vel minimi momenti illi fuisse vel minimæ curæ, nam, duodeviginti menses Venetiis constitit et in septentrionali Italiæ parte etiam ambulavit, nedum breviore via perrexerit. Bononiæ fuit, qua in urbe vidit Francesco Albani et Guercino. Sed Venetiis tot et tam eximia opera miratus est ut in Galliam redire oblitus sit. Diximus enim supra quantum Titianum in primis dilexerit : multo majus etiam sine dubio postquam Venetiis fuit. Tum ad Petrum Mignard scripsit ut ad se veniret. Venit ille et amici una ibi quoque laboraverunt et disseruerunt.

Multa tum didicerunt quæ nonnullius momenti sunt et in Caroli Dufresnoy poematis ultima parte, et in illo genere, non satis fortasse coloribus præstanti sed maxime ad decorationem apto, harum picturarum quæ sunt in tholo Ecclesiæ monasterii dicti « *du Val de Grâce* ». Quibusque pingendis infra probabimus Carolum Dufresnoy et Petrum Mignard una laboravisse.

Ipsis vero Venetiis dicitur Carolus Dufresnoy ab ejus vitæ scrip-

1. Cf. *Entretiens*, p. 334.

toribus tabulas pinxisse duas nobili viro *Marco Paruta* quorum altera Virginis imaginem superne expressam repræsentabat, altera « recubantem Venerem ». Ambo quantum Titiani modum secutus esset probabant.

Tandem, anno 1656, Lutetiæ fuit Carolus Dufresnoy, dum Petrus Mignard aliquandiu Romam redit. Scimus Dufresnoy habitavisse in domo domini *Potel*, « *greffier du conseil* » in via dicta « *Beautreillis* » qua in domo pinxit quod appellabant « *un petit cabinet* ». Sed cum duobus annis post, Petrus Mignard Lutetiam se contulit, Carolus Dufresnoy domicilium in eodem loco atque amicus habere voluit. Tunc eamdem Lutetiæ egerunt vitam atque Romæ, etsi Romæ Mignard uxorem duxerat, anno 1656, quo ipso tempore Dufresnoy profectus erat.

Quomodo ambo vitam sustinuerint, scimus ex charta quadam, quæ edita fuit in « *Archives de l'Art français* (1) », testamentum dico a Petro Mignard scriptum, cum anno 1663 ægrotavit. Ex quo constat Petrum Mignard, qui rem auxerat pariter atque gloriam, domus, quæ in via « *Neuf-Montmartre* » erat, partem amico Carolo Dufresnoy conduxisse, sed illum, quia non ditior Lutetiæ quam Romæ erat, sæpe domicilii pretium non solvisse. Petrus autem Mignard in hoc testamento condonat Carolo Dufresnoy quod ille propter hoc debebat, jubetque reddi 900 libras, quas Dufresnoy, seu prudentiæ causa seu gratiæ, amico crediderat (2) pro pretio acceptas operis cujusdam quod in pago dicto « Le Raincy » fecerat. Denique quod majus est quam illa omnia, quamvis nobis non negligenda, Petrus Mignard amico legaverat suos « *trois livres des Carraches* » in quibus, ut opinari licet, erant collectæ multæ descriptiones, quas Petrus Mignard magni faciebat (900 libras), unde apertum est eos apud illum in magno pretio fuisse et sæpissime sine dubio amicos iis fuisse usos, quod in iis et reperissent multa multaque didicissent.

---

1. Tome V (1857-58), p. 41.

2. Habemus quoque (*Nouv. Archives de l'Art français*, tome IX, p. 91) quamdam apocham Petri Mignard qui « *confesse devoir à Dufresnoy la somme de 400 livres tournois pour prêt d'argent, pour subvenir et employer à ses affaires urgentes et nécessités, 31 janvier 1663.* » Quæ sit hujus mutuæ pecuniæ causa, non plane quidem videmus, nisi forte hanc quoque pecuniam Carolus Dufresnoy in amici manibus deposuerat.

Ceterum opera quæ Carolus Dufresnoy fecit in pago dicto « Le Raincy » maxima sunt hujus pictoris, in illa saltem vitæ parte. Domum enim domini *Bordier*, « *intendant des finances* » decorare jussus est et in lacunari pinxit « *l'Embrasement de Troie* ». Dargenville in suis *Environs de Paris* fatetur hoc fuisse inter Caroli Dufresnoy opera cuncta pulcherrimum « *tant pour le coloris que pour l'ordonnance* ».

Scimus quoque eum tabulam pinxisse ecclesiæ Sanctæ Margaritæ majori altari, quæ erat in *faubourg Saint-Antoine* (1); aliam ecclesiæ urbis dictæ *Lagny* « *Virginis Assumptionem et duos Apostolos* ». Quarum altera diu fuit in Musæo *Louvre;* altera ubi sit nescimus.

Sæpe etiam delineationes ornamento vel architecturæ plurimis locis fecit, quos inter sunt altare majus monasterii « *des Filles-Dieu* » in via dicta *Saint-Denis*, et villa domini *de Vilargelé*, prope Avennionem, et ædes domini *de Lyonne*, et domus domini de Souvré « *grand prieur du Temple* », denique ædes domini *d'Erval* aut *d'Herwart* (2) in quibus cum Petro Mignard laboravit. In maximo ejus domus cubiculo lacunar erat in quo picti fuerant Apollo et Musæ (3); deinde parietes vestiebantur quatuor quadratis tabulis quæ effingebant : « *Le jugement de Midas, la punition de Marsyas, la mort des Niobides, les Vices chassés du temple d'Apollon* », quorum aureus erat campus. Creditur illarum tabularum primam hodie esse in « *Musée de Lille* ». In qua ager classico more ordinatus campum tenet, deinde personæ tres in ordine

---

1. Cf. Thierry. *Guide des étrangers à Paris*, 1787, 1, 650.

2. Quæ ædes primum erant ducis *d'Épernon* qui jusserat aliquot tabulas a Petro Mignard sibi pingi (illi quoque dicaverat Carolus Dufresnoy tabulæ a Dominicano pictæ scalpturam quam Venetiis fecerat). Obiit dux anno 1661, ædesque emit dominus d'Herwart, qui postea Johannis de La Fontaine patronus fuit. Ille novas tabulas a Petro Mignard petiit, quibus faciendis Mignard Carolum Dufresnoy adjutorem assumpsit. Cf. Braquehaye. *Les peintures de Pierre Mignard et d'Alphonse Dufresnoy à Paris*. (Réunion des Soc. des B.-Arts des départements, 1894, p. 1158-1165). Quæ ædes, nostris temporibus, factæ sunt « *l'Hôtel des Postes* ». Nihil jam nunc superest, et ubi sint tabulæ nescimus.

3. Petri Mignard tabulæ quædam a Chauveau scalpta (Cabinet des Estampes, Ed 44 f) hujusmodi fabulam effingit ; vel ipsam illam, quæ in lacunari ædium d'Erval, exprimit, vel certe simillimam.

disponuntur ut in antiquis anaglyptis. Sed de hoc alias plura dicemus.

Pinxerat quoque, si Felibiano credimus, in iisdem ædibus Carolus Dufresnoy : « *un plafond et quatre beaux paysages* ». Quod lacunar, secundum dominum de Caylus, esse debet illud in quo Amores ferebant evolvebantque « *des tapis peints sur lesquels on voit des paysages représentant les aventures de Psyché.* » (1) Scimus quoque personas a Petro Mignard in amici tabulis adjunctas fuisse. Quæ cum ita sint, nonne tabula, quæ in « *Musée de Lille* » (2) est, vel facta esse possit ex illo communi labore, vel saltem nobis aperire valet quæ essent hujusmodi opera a Carolo Dufresnoy picta ?

Præterea est aliquid non vulgo notum, manifestum tamen e scripto quodam edito in « *Archives de l'Art français* » (3), ex quo affirmare licet Caroli Dufresnoy, Petrique Mignard, laborem fuisse consociatum in decoranda Ecclesia dicta « *le Val de Grâce* ». Verisimile enim est Petrum Mignard, cum hujus magni operis dispositionem constituerit, docti amici consiliis usum esse, quippe qui, ut ait dominus de Caylus (4), argumentum quoque ex amico sumpsisset tabulæ dictæ « *La Peste d'Epire* » quæ erat in regia pinacotheca (*le Cabinet du roi*). Sed in opere ipso perficiendo Carolus Dufresnoy sine dubio cum Petro Mignard laboravit.

Quod opus ingens, intra tres annos perfectum, cujus argumentum est cœli axis cum figurarum multitudine, inceptum est anno 1663. Eo tempore quæ omnia ad architecturam pertinebant ab anno 1645 incepta, propemodum perfecta erant ; jam ad pictores venerat labor. Hanc tunc epistulam multis causis gravissimam Carolus Dufresnoy et Petrus Mignard, usque adeo conjunctissimi, ad Carolum Le Brun scripserunt, qui eos hortabatur ut in Academiam cooptari annuerent.

Monsieur,

Nous nous sommes informés de votre Académie entièrement ; on nous a assuré que nous ne pourrions pas en être sans y tenir et

---

1. *Vie des premiers peintres du roi*, Paris 1751 p. 136.
2. Cf. Gonse, *Le Musée de Lille.* (*Gazette des Beaux-Arts*), 1874, I, p. 144.
3. I (1852), 267.
4. Loc. cit.

exercer quelques charges, ce que nous ne pouvons pas faire, n'ayant ni le temps, ni la commodité de nous en acquitter pour être éloignés et occupés comme nous le serons au Val de Grâce; nous étions venus vous remercier de l'honneur que vous avez fait à vos très humbles serviteurs,

Mignard et Dufrainoy ce 12 février 1663.

Nullus testis est præter hanc epistulam communis hujus laboris, quem scriptores Petri Mignard vitæ omiserunt, et ipse semper tacuit. Profueritne valde Petro Mignard hic communis labor dubitare licet, cum esset Carolo Dufresnoy minima facilitas, et contra maxima adhibenda esset celeritas in hoc præcipue pingendi modo cui nomen est « *la fresque* ».

Vidimus etiam in hac epistula Petrum Mignard recusavisse se in Caroli Le Brun Academiam cooptari. Scimus autem (1) quam multa, ab anno 1648, magistrorum (2) et Academicorum jurgia fuerint, quomodo annis 1654 et 1655, Academia instaurata sit, quanto auxilio ei fuerint qui Galliam regebant, et in adversis partibus quam multi defecerint. Non tamen in recusando diu perstitit ipse Mignard.

Dufresnoy vero, cum e Roma rediit, anno 1656, magistrorum partes secutus erat. Cur id fecerit, haud facile dicam. Non profecto quia Simonis Vouet amicus, fidusve discipulus fuerat; mortuus insuper ille erat jam abhinc septem annis; vel quia academicorum doctrinas non probabat. Nam licet infra notaturus sim quædam postea fuisse discrimina in ejus doctrina, eo tamen tempore quasi imbutus erat sententiis Nicolaï Poussin cujus auctoritas in Academia gravissima erat.

Facilius autem cur Mignard has secutus sit partes perspici potest. Quem scimus jam hoc tempore Caroli Lebrun fuisse æmulum. Itaque Mignard, quem Carolus Dufresnoy secutus est, quasi dux fuit cujusdam conjurationis adversus Academiam. Legimus enim apud *Guillet de Saint-Georges*, his auctoribus et « *par les liaisons qu'il avait avec eux* », Michaelem Anguier,

---

1. Cf. Vitet, *l'Académie royale de peinture et sculpture*. — Testelin, *Mémoire*, t. II, p. 101-102. — Lemonnier, *op. cit.* — H. Jouin, *Le Brun*, p. 305 sqq.

2. Qui participes erant societatis illius « *la Maîtrise* ».

qui laborabat quoque in « Val de Grâce », ab Academia abfuisse. Sed mox non jam obstiterunt qui magistrorum partes sequebantur, et Petrus Mignard ipse, mense uno vix præterito, Academiæ assensus est (3 mars 1663) (1).

Cur amicum suum Carolus Dufresnoy non imitatus sit, haud facile dictu est. Etenim cum Petro Mignard in Academiam intravit Nocret, qui Romæ eodem tempore ac ille fuerat, et Nicolao Poussin quoque familiariter usus erat. Abest autem Carolus Dufresnoy.

Conjunctissimi igitur hactenus amici non jam conjungebantur. Opinandumne est non cooptatum fortasse fuisse Carolum Dufresnoy, quod jam hoc morbo esset affectus, hac paralysi, quæ eum primum coegit ut in « *Villiers-le-Bel* » ad fratrem se conferret, deinde non multo post absumpsit? Attamen, exeunte eodem anno 1663, Octobri mense, quo Petrus Mignard, qui ipse tum ægrotabat, scripsit testamentum supra memoratum, in ejus domo Dufresnoy habitabat. Qua igitur causa Dufresnoy Academiæ socius esse noluit, annuente ipsa Academia; quæ eum, ut ita dicam, etiam post mortem receptura esset? Ejus enim effigies, quæ in Musæo « *Louvre* » (2) est, venit, ut videtur, ex Academiæ collectionibus (3), et scimus quoque comitem de Caylus in suo de Petro Mignard scripto, dixisse se voluisse « *jeter en passant quelques fleurs sur le tombeau de Dufresnoy* », atque, quamvis Academiæ socius non fuerit, inter Academicos tamen illi dare locum pro poematis utilitate.

Quanquam autem Academia Petrum Mignard receperat, non cessabant tamen et artificum et doctrinarum contentiones, et, cum de Caroli Dufresnoy poemate edito loquemur, videbimus eas crevisse præcipue cum Carolus Dufresnoy mortuus fuisset. Ceterum fieri potest quædam fuisse discrimina perpauca inter has artificum partes duas, cum Caroli Lebrun, fratrum

1. *Procès-verbaux de l'Académie*, I, 271-272.

2. Cf. *Catal. sommaire des peintures* n° 517. — Villot. *Catalogue de l'Ecole française*. — Cf. H. Jouin, *Le Brun*, p. 305-6, 326.

3. Non tamen laudatur apud Guérin. (*Description de l'Académie, Paris 1715, in-12.*) Nec in tabula recenter restaurata sigillum ullum reperire potuimus.

Perrault, Mlle Cheron, tum Petri Mignard, Caroli Dufresnoy et Molière.

Quos inter, non hi qui Academiæ partes sequuntur sententias maxime classicas habent, nec antiquos maxime mirantur. Caroli enim Le Brun amici sunt « *recentiores* » ; ætatem in qua vivunt, laudare solent et pictorem quem diligunt, etiam sub specie regis laudandi vel Colberti ministri, qui hoc quidem tempore, præcipue iis favebant. Petrus Mignard autem et inter amicos primus Carolus Dufresnoy, qui ambo viginti annos in Italia habitaverant non tam libenter ea aspernabantur, quæ ultra Alpes nata erant, nec, ubi primum occasio data fuerat, commemorare solebant quam male Italicis artificibus res evenisset et contra quam bene gallicis in ædificio « *Louvre* » perficiendo. Persuasum autem habebant, sicut illi qui in litteris amatores erant antiquorum, nihil ab artifice quolibet fuisse factum quod antiqui non melius fecissent et his omnes recentiores cedere, nec quidquam aliud esse faciendum ad eosdem adæquandos nisi eos imitari. Horum Carolus Dufresnoy erit præco, ut scriptorum postea Nicolaus Boileau, et doctrinas protulit in libro *de Arte graphica* qui decem ante annis quam liber *de Arte poetica* scriptus est.

Caroli autem Dufresnoy, cui modica semper fuerat in pingendo facultas, tum minor etiam fuit cum ægrotavit. Quod ex ipso scimus aut ex amico qui pro eo scribit in latina poematis præfatione. Tum poema repetiit cujus majorem partem Romæ jam meditatus erat, et fortasse scripserat : tunc incepit limæ labor. Quo tempore opus edere cupiebat, et ipse commentarium fortasse scribere. Cogitabat etiam poema ab amico in gallicum converti, haud ignarus quanta esset hujus laboris utilitas; ipse vero, ut Nicolaüs Poussin, desuetus sua optime uti lingua, quia perdiu in Italia fuerat. Quod faciendum dedit juveni, qui eum noverat, et de arte picturæ loquentem audiverat et pingentem etiam viderat, scilicet Rogerio de Piles.

Qui nobis affirmat opus a se perfectum fuisse, Carolo Dufresnoy semper præsente et probante (1). Ille, ut infra videbimus, pictoris opus et sententias explicuit. Nulla autem poematis pars

---

1. Cf. *Abrégé de la vie de M. de Piles*, in initio operis hujus *Abrégé de la vie des peintres*, et *ibid.* p. 487.

vivente Carolo Dufresnoy edita est. Privilegium tamen artifici datum erat jam anno 1667, sed tantum post ejus mortem Petrus Mignard et Rogerius de Piles duplicem protulerunt editionem anno 1668.

Pro vero autem habemus, teste Mariette (1), Carolum Dufresnoy esse mortuum apud fratrem, in pago dicto *Villiers le Bel*, anno 1668, sedecimo Januarii die. Hoc enim probatur ecclesiæ pagi tabulis. Unde intellegere possumus cur prioris editionis privilegium ipsi Carolo Alfonso Dufresnoy sit datum. Cur autem Rogerius de Piles et in Caroli Dufresnoy Vita, et in titulo effigiei quam scalpserat, amicum anno 1665 esse mortuum dicit? Mirabilis vero hic error; nam, etiam tacente Mariette, ex Felibiano scimus « *que le livre ne fut publié qu'après sa mort en 1668, quoique il en eût obtenu le privilège un an auparavant* ». Addit etiam Mariette Carolum Dufresnoy anno 1668 mortuum esse « *malade d'une paralysie et faible d'esprit* ». Quando autem hæc ingenii animique mors cœperat? Nonnulla fortasse reperire est in poematis fine tristia quædam quæ nobis significant animum ejus in dies eo majori mæstitiæ se tradidisse, quo magis ingenii infirmitatem intellegeret (2).

latet omnibus error
Vitaque tam longæ brevior non sufficit arti;
Desinimus nam posse senes cum scire periti
Incipimus, doctamque manum gravat ægra Senectus
Nec gelidis fervet juvenilis in artubus ardor.

Ceterum fieri quoque potest ut infelix pictor corpore pariter atque ingenio contectus, aliquot adhuc annos vitam sustinuerit miseram. Sed nulla ejus laboris testimonia post annum 1663 supersunt, nisi hoc privilegium anno 1667 datum. Haud etiam absurdum est hoc privilegium suos infelici pictori amicos petivisse.

1. Cf. *Abecedario*, II, 127.
2. V. 495-500.

CAPUT SECUNDUM.

I. — Poema editur. — Duplex ejus editio anno 1668. — Quæ ejus fama, quæ virtutes. — De sententiis et verbis. — A *Rogerio de Piles* in gallicum convertitur.

II. — Quæ sint poematis fontes : — Quæ scriptor ex aliis artificibus acceperit, Nicolao Poussin, Bononiensibus etc. — Quæ de arte opera dogmatica consultaverit et imitatus sit. — *Leonardi* « *Traité de la peinture* ». — *Lomazzo*. — Equitis Cassiano del Pozzo manuscriptum. — Quæ edita sint anno 1651. — *Francisci Junii* liber « *De pictura veterum* ». — Quæ senserint Nicolaus Poussin et abbas de Chambray. — Picturæ partium divisio. — *Horatii* de Arte poetica. — Quomodo similia sint litteræ et ars. — Illum imitari vult poeta.

III. — Non dogmaticum opus tradere vult. — Non certis verbis definit quid sit summum pulchrum.

I

Hoc poema versibus latinis scriptum, cui curam operamque Carolus Dufresnoy per vitam totam dederat, quod composuerat quo modo, loco et tempore in priore capite diximus, deinde per annos vitæ supremos emendaverat, post mortem, amicis curantibus, statim editum est. Duæ etiam fuere editiones eodem anno 1668. Primum Petrus Mignard, qui in manibus habebat omnia quæque scripta Caroli Dufresnoy post ejus mortem reperta fuerant, latinum poema edidit apud Claudium Barbin, cum hac inscriptione « *Caroli Alfonsi Dufresnoy, pictoris De Arte Graphica liber, sive diathesis, graphidos et chromatices, trium picturæ partium anti-*

quorum ideæ artificum nova restitutio » (1) sive, ut dicit qui scripsit « *l'abrégé de la vie de M. de Piles* » (2) « *qu'il eût peine à voir publier en français le secret de son art* » sive « *qu'il eût une si haute idée du poème latin que, selon lui, nulle traduction ne pourrait lui faire honneur* ». Sed hujus prioris editionis haud magna fuit fama, nec multum apud artifices divulgata est, adeo ut eodem anno, iterum poema editum fuerit cum translatione et adnotationibus.

Refert enim Rogerius de Piles Carolum Dufresnoy in animo habuisse cum viveret, fore ut poema editum sit cum translatione et commentariis. Quam translationem Rogerius de Piles ipse faceret voluerat poeta, qui sane hanc editionem comprobavisset cum anno 1668 in ædibus Nicolai Langlois edita est, sic inscripta : « *L'art de peinture de C. A. Dufresnoy, traduit en français avec des remarques nécessaires et très amples.* »

Incipit eadem epistula latina ad Colbertum, subscripta *C. A. D. F.* quam jam in priore editione legimus; sequitur præfatio in qua qui librum transtulit, cujus nomen nusquam scriptum est, opus lectoribus tradit (nec significat ullam editionem fuisse priorem). Deinde poema ipsum translatione paginam quamque comitante. Denique adnotationes et totius operis ultima pars quæ dicitur « *Sentiments de Charles-Alphonse Dufresnoy sur les ouvrages des principaux et des meilleurs peintres des derniers siècles.* » Iterum anno 1673 editum est poema (in-12) perpaucis mutatis rebus, in quo tantum legitur « *Deuxième Edition* ».

Cur Rogerius de Piles de latina editione nunquam loquitur? Videtur quidem eo tempore vel ejus et Caroli Dufresnoy amicitia vel consensus deesse. Secundum illum qui vitam supra notatam scripsit, Rogerius de Piles nonnullos annos uti non potuit manuscripto suo, quod, antequam mortuus est, in manibus habebat Carolus Dufresnoy. Sed hoc satis dubium est, cum in priore Rogerii de Piles libro indictus sit idem annus atque in poematis latina editione (1668).

Quidquid id est, opus, ubi editum est scriptoris famam auxit

---

1. Paucas in hac *editione principe* latinas adnotationes legimus quibus diligenter utemur. Sincerius enim forsan poetæ sententiam explicant quam notæ a Rogerio de Piles copiose additæ.

2. Cf. R. de Piles, *Abrégé de la vie des Peintres*.

quæ, eo vivo, mediocris fortasse fuerat et vix ingenio par pictoris. Affirmat enim Rogerius de Piles « *que si le peu de tableaux qu'il a faits ne sont pas suffisants pour répandre son nom en divers endroits de l'Europe, celui de son poème sur la Peinture le fera vivre autant que cet art sera en quelque estime dans le monde* » (1). Nostra etiam ætate dicebat Carolus Blanc de poeta pictoreque « *qu'il serait à jamais illustre pour avoir écrit la poétique de son art dans un style d'une latinité excellente, dans une langue impérissable.* » Jam XVIII° sæculo, abbas de Marsy (2) non negabat poema quasi comparandum esse cum Horatii Arte Poetica; quin etiam laudabat Carolus Blanc « *ces idées sculptées en relief dans un poème que n'eût pas désavoué le siècle d'Auguste* ».

Nos quidem credimus aliquid de his laudibus demendum esse, hanc dico « clarissimam famam », hanc « immortalitatem » ei promissam, quibus hodie subridemus, cum nemo, nisi historiarum scriptor vel archæologus sit, in pulvere ac oblivione quærat et e tenebris in lucem revocet hoc vetus et venerabile poema, ut propius inspiciat et inter doctrinarum præteritarum reliquias, velut inter deorum mortuorum sacra ponat illud præceptivum opus, cui, ut ceteris quidem, nihil minus propositum fuisset nisi summum docere verum, et ipsius pulchritudinis perficiendæ normam præbere absolutam.

Sunt quidem in hoc poemate multa observata et definita atque jussa, quæ sine dubio semper accepta futura sunt et vera; sed non hæc principia doctrinæ de æsthetica unicæ absolutæque quærere maxime cupimus, verum etiam et multo magis, quæ eo tempore de Arte sentirent, quomodo hanc conciperent, quam illi finem imponerent et disciplinam. Certiores enim facti sumus, contra ac fuerant Caroli Dufresnoy æquales, nullam fore pulchritudinis definitionem unicam, nullam assequendi normam; itaque huic doctrinæ studemus non quod aliquid veritatis summæ vel fractæ etiam habere possit, sed quia certo aliquo tempore veritas ipsa fuit ab omnibus, qui tunc vixerunt, accepta, quia insuper non solum quasi speculum est sententiarum, quæ de arte vigebant, verum etiam quia patefacit cur quibusdam certis modis artificum

---

1. *Vie des Peintres. Ecole française*, T. I. Notice sur Dufresnoy.
2. *Diction. abrégé de peinture et sculpture*, 1746, 1. p. 265.

ipsa opera facta sint. Quomodo igitur quædam hujus ætatis opera huic doctrinæ pareant præcipue quærere conabimur nec omittemus quantum cum acceptissimis eo tempore sententiis congruerit.

Ipsum autem dicendi genus penitus judicare, non est facultatis nostræ. Sed, ut quos jam nominavimus scriptores taceamus, scimus judices peritos fuisse, recentiore etiam ætate, qui hoc non parvi faciant. Sermo enim quamvis necesse plerumque arte factus sit, merus tamen pro maxima parte et validus. Apparent quoque multa e classico sermone hausta a scriptore, qui antiquos optimos noverat; in rebus autem, quæ satis lepide dictæ sunt, non nimia est concinnitas, nec poema usquam fit molestus *cento*, ut pleraque quæ recentiores latine scribere voluerunt.

Attamen facile notare possimus quædam vel in locutionibus, vel in verbis aliena et vitiosa, præcipue quotiescunque sententiæ a consuetudine latini sermonis abhorrebant. Sæpius autem, post sententias feliciter et stricte dictas, quasdam invenimus pressius scriptas et propter hoc adeo obscuras ut nobis opus sit Rogerii de Piles translatione, si quæ poeta cogitavisset intellegere volumus. Nonnunquam quoque ex eadem translatione videre licebit quibus verbis ambiguis et incertis sententiam scriptor comprehenderit.

Fieri vero potest ut quidam mirentur quod quæramus, translatione judice, an verba operis ipsius propria fuerint, necne. Sed non est prætermittendum hanc Rogerii de Piles translationem singularem et nullius similem esse, quippe quæ sub oculis ipsis Caroli Dufresnoy scripta sit et cum eo disceptata; unde fit ut planius nonnunquam significare possit quæ ille cogitaret, quam latini versus in quibus sermonis desueti usus scriptori molestus erat, et imperiosæ prosodiæ leges. Sæpe etiam Rogerii de Piles translatio et sententias latine expressas non diligentius solum significat, sed explicat etiam et explet. Immerito igitur recentiores quidam editores affirmaverunt Rogerium de Piles in plurimis locis erravisse nec intellexisse quid Caroli Dufresnoy versus significarent (1). Haud enim necesse est nos ita illos versus pers-

1. Comes de Keratry (*Réflexions sur le poème de A. Dufresnoy p. 103*), fatetur « *avoir réformé le style suranné de De Piles, premier traducteur de Dufresnoy, et qui ne l'a pas toujours entendu.* »

crutari, ut fieri solet in veterum poetarum operibus; necnon verisimile est hos omnes qui alteram et novam translationem scribere voluerint, quotiescumque non eodem modo ac Rogerius de Piles transferant, et ipsos erravisse, nec intellexisse quæ vel latine dicere vellet Carolus Dufresnoy, vel gallice et XVII[i] sæculi more Rogerius de Piles.

Maximi igitur momenti faciemus Rogerii de Piles translationem quod ex illa scimus quomodo Caroli Dufresnoy sententiæ tranferri possint, vel potius quibus verbis in gallicum expressæ fuissent a scriptore ipso et sine dubio ab ejus æqualibus. Non negligemus quoque, ut scriptoris cogitata penitus perspiciamus, has *Adnotationes*, ab eodem Rogerio de Piles additas, diffidentius tamen. Quod si enim illæ plerumque res ipsas tantum illustrant, nonnunquam tamen quædam addunt, a scriptoris cogitatione ipsa aliena, in quibus non nihil apparet quid proprie sentiret interpres, Rogerius de Piles. Sed de hoc opportune loquemur.

II

Haud dubium primo est, cum non ignoremus quomodo Carolus Dufresnoy poema composuerit, et constet eum fuisse nec litteratum nec criticum tantum virum, sed potius artificem doctrinæ litterarumque curiosum, quin in hos versus, quotidie scriptos, plura introduxerit vel observata, vel ex ipso artis usu orta atque e multo tabularum, ab artis magistris pictarum, studio. Ipse quidem dicit (1):

> Nitimur hæc paucis, scrutati summa magistræ
> Dogmata naturæ, artisque exemplaria prima.

Utilitati quoque non parvæ illi fuere hi « *Sermones* », de quibus locuti sumus, quos Nicolaus Poussin cum familiaribus habebat, et illa præcepta, quæ magister tradebat et amici omnes diligentissime colere solebant, ut Félibien et Fréart de Chambray. Testis enim est maxima similitudo et nonnullarum Caroli Dufresnoy

1. V. 62.

sententiarum, et illarum quas legere possumus in Nicolai Poussin epistulis, vel in ejusdem « *Osservationi di pittura* » a Bellori cum artificis Vita editis (1), vel in amicorum libris. Denique Rogerius de Piles persæpe nos monet hoc et illud principium in Caroli Dufresnoy libro notatum, traditum fuisse a Guido Reni, Francisco Albani, vel, quamvis non ex ipso artificis ore, ab Hannibale Carratio ; pictorem quoque cognoverat fortasse ut supra notavimus, qui doctrinæ ipse dicitur fuisse studiosissimus, scilicet Andream Sacchi.

Hanc autem doctrinam a magistris et amicis accepit traditam, non scriptam. Sed alter sine dubio illi fuit inquirendi modus. Falso enim putavisse videtur Ph. de Chennevières Carolum Dufresnoy præcipue vulgari sapientia usum fuisse. Negamus quidem eum tempus unice comsumpsisse in sententiis ex aliis scriptoribus excerpendis, quas verbis apte et ornate collocaret, ut totius picturæ artem ex tempore ædificaret, quod fecerunt et Fréart de Chambray et Molière, qui, ut apertius monstrabimus, cum vellet summatim significare quæ essent pingendi leges, nihil aliud nisi breviter complexus est Caroli Dufresnoy librum et in suo poemate « *Sur la gloire du Val de Grâce* », gallice transcripsit. Haud dubium tamen est quin usus sit Carolus Dufresnoy omnibus libris de Artis præceptis ad hoc tempus editis. Summus enim artifex quem fingit doctus esse debet artifex, quod probabitur ex *Adnotationum* (2) parte in qua Rogerius de Piles libros indicat qui artifici utiles sunt, et scimus quoque Carolum Dufresnoy ipsum satis doctrina valuisse ut dogmatica vel antiqua opera facile et fructuose legere posset.

Quo in indice, præter Horatii *de arte poetica* poema, de quo infra plura dicemus, et præter nonnulla opera, quæ minoris momenti videntur, ut illa *J.-B. Armenini* (3), duo sunt de quibus dicenda nobis quædam credimus, scilicet et Leonardi da Vinci *de Pictura* liber et amplissima *Francisci Junii* excerptio.

Primum Leonardi notæ, quæ nostris temporibus editæ sunt

1. Cf. Bellori, *Le vite de pittori*, p. 460-462.
2. In v. 76.
3. J.-B. Armenini, *Dei veri precetti della pittura*, 1587.

devotissima cura, ut sententiam hujus clarissimi artificis etiam minimam subripiamus (1), nihil aliud erant, cum ipse mortuus est, nisi fragmenta ingentis operis, quod scribere cupiebat, et præcepta male cohærentia.

Ejus autem discipulus Melzi illa collegit, transcripsit et hunc composuit « *Vaticanum Codicem* », quem nostris temporibus edidit Ludwig. Quibus etiam usus est, jam exeunte XVI° sæculo, pictor Giovanni Paolo Lomazzo (2), ut suum componeret « *Trattato della Pittura* » (Prima editio, Mediolani, 1584), in sex libris divisum « *Proportione, Moti, Colori, Prospettiva, Prattica della Pittura, Istorie* » et deinde ut, in sua « *Idea del Tempio della pittura* » (1591), explicaret qui fons esset, quæ origo rebus de quibus in priore libro locutus erat.

Cognovit profecto Carolus Dufresnoy illius Lomazzo libros, quorum magna in Italia erat auctoritas. Num illi magnæ utilitati fuere? Non credimus quidem. Illa enim celeberrima « *théorie des proportions* », quæ primam partem habet et maximam in Giovanni Lomazzo libro, et sola in gallicum conversa est ab Hilario Pader (3) (1649), perpaucam in Caroli Dufresnoy poemate mentionem obtinet. Rogerius de Piles autem in suis *Adnotationibus* diligenter et copiose collegit, Lomazzo secutus, hanc doctrinæ partem, quæ fortasse a poeta omissa visa fuisset, cum tantum valeret in classica æsthetica. Johannis quidem Lomazzo gratia Carolo Dufresnoy Leonardi doctrinam partim cognoscere licuit. Sed eam potuit, ut

---

1. Cf. J.-P. Richter, *The literary Works of Léonardo da Vinci.* — Ch. Ravaisson-Mollien, *Les Manuscrits de Léonard de Vinci*, Paris, 1881, sqq.

2. Qui Mediolani natus erat anno 1538; et primum imitatus erat Leonardi *Cenam*; sed cæcitate affectus, tres et triginta annos natus, operam dedit libris componendis de Artis doctrina et dictandis.

3. *Traité de la proportion naturelle et artificielle des choses par Jean-Pol Lomazzo, traduit de l'Italien en Français par Hilaire Pader, Tolosain. Tolose, 1649, folio.* Alia hujus notabilis pictoris et poetæ opera, quibus studuit Ph. de Chennevières in libro « *les Peintres provinciaux* » (T. IV), scilicet « *La peinture parlante* » (1653) et « *Le songe énigmatique de la peinture universelle* » (1658) ex eodem Lomazzo pro maxima parte, hauriuntur. Sed nunc nobis non est his locus, cum post nata sint quam Caroli Dufresnoy poema compositum fuisset, et ab illo, quamvis Lutetiam regressus esset, ignota manere possent. Eorum tamen mentionem facere nos liceat, ut ex ingenio orta illius Caroli Dufresnoy prope simillimo.

ita dicam, ex ipso fonte haurire. Exemplaria enim manuscripta libri, quem Melzi composuerat, per totam Italiam in manibus erant. Quorum eques Cassiano del Pozzo habebat unum, quod ejus amicus Nicolaus Poussin figuris ornaverat. Quod exemplar ab equite del Pozzo datum est fratribus de Chantelou, editum a Raphaele Trichet du Fresne, translatum et in gallicum editum ab abbate Fréart de Chambray cum epistola dedicatoria ad Nicolaum Poussin et ejus pictoris descriptionibus, quas Errard scalpserat et compleverat. Ambo libri anno 1651 editi sunt, sed Carolus Dufresnoy Leonardi librum in manibus habere multo ante potuerat. Invitus autem Nicolaus Poussin, editionis particeps fuerat, nec illi placuerat quod hic liber editus fuisset (1). Sententiam enim in epistula ad Abraham Bosse libere, ut solebat, et aspere his verbis aperuit (2) : « *Tout ce qu'il y a de bon dans ce livre, se peut écrire sur une feuille de papier en grosses lettres, et ceux qui croient que j'approuve tout ce qui y est ne me connaissent pas, moi qui professe de ne donner jamais le lieu de franchise aux choses de ma profession que je connais être mal faites.* » Librumne spernebat an translationem ? Videtur quidem nobis ambo.

Quidquid id est, multa in doctrinam classicam fuisse ulterius inserta apertum est, quæ tantum Leonardus de Vinci recognoverat et suaserat (maxime ingeniosa quidem sæpissime et alta), ut fructus laboris, quem ad observandam naturam tamdiu consumpserat, nedum præcepta forent aut dogmata quibus nos parere necesse esset, jubente æterno pulchritudinis exemplo, ut antiquo; quæ jam ipse Carolus Dufresnoy in poema inseruit. Nonnulla enim quæ de figurarum pondere et libratione dixit, de varietatis necessitate, de pannorum dispositione ac lumine, de colorum prospectica, sive « *perspective aérienne* », etc... Leonardum auctorem habent (3). Nonne ceterum Felibianus affirmat in suis « *Entretiens* (4) » Carolum Dufresnoy feliciter usum esse Leonardi præceptis, et multum his opus illustravisse. Propria autem Caroli Dufresnoy sunt ratio et ordo quæ omnibus his præceptis

1. Cf. Ph. de Chennevières, *Peintres provinciaux*, t. III, et *Essai sur l'histoire de la peinture française*.

2. Ed. Quatremère de Quincy, p. 361.

3. Cf. *éd. 1651*, chap. 206, 266, 94-98, 358-359, 165, 158.

4. *Ed.* 1685, t. IV, *Vie de Poussin*.

affert, quæ Leonardus primum confuse scripserat, nec ipse in ordinem unquam disposuerat, nec editores. Hæc quidem, XVII° sæculo, in opere incusabant plerique et in primis abbas de Chambray et Ludovicus Testelin (1).

Illius autem ordinis quem secutus est Carolus Dufresnoy, cum neque ex Leonardi libro, neque ex Johannis Lomazzo sit ortus, ubi consilium cepit, et fortasse exemplum? In ipso quidem *Francisci Junii* libro, qui hodie ignotus longa nocte urgetur, dum contra locum obtinet eminentem in indice librorum ad pictorem utilium a Rogerio de Piles scripto, et Nicolao Poussin ejusque amicis plurimæ laudi fuisse videtur et admirationi. Etenim qua in epistola una clarissimus ille pictor satis multus est in præceptis judicandis, hujus unius libri mentionem facit : « *Après avoir considéré la division que faict le seigneur Franc Junius des parties de ce bel art, j'ai osé mettre ici brièvement ce que j'en ai appris* (2)». Fréart de Chambray quoque, clarissimi amici sententiam sine dubio secutus, ex Junii libro maximam haurit partem suæ : « *Idée de la perfection de la peinture* », vel : « *ces principes fondamentaux observés par les anciens, sans lesquels la peinture n'est qu'un art chimérique et une simple barbouillerie de couleurs* (3) ».

Quod opus, cui inscribitur « *de Pictura veterum libri tres* » primum anno 1637, Amstelodami editum, et regi Anglorum, Carolo I° dedicatum a scriptore Francisco Junio, Batavo, qui in Britannia vivebat, nihil aliud est quam compilatio incondita, in qua, quo more fecerant XVI° sæculo nonnulli scriptores, congesta erant quæ sententiæ vel notæ, quæque judicia excerpi possent ex omnibus scriptoribus latinis vel græcis, cum ex Plinio Horatiove,

---

1. Cf. *Idée de la perfection de la peinture* et *Sentiments des plus habiles peintres*, préface.

2. *Epistolæ*, 7 mars 1665. Ed. Quatremère de Quincy, p. 347. Hic vero et alioqui verba Nicolai Poussin laudabimus juxta textum epistolarum nunc in *Bibliothèque Nationale* servatum et accuratissime ab amico nostro Georges Lechevallier-Chevignard quondam notatum, nobisque benigne traditum.

3. Ejus parentes gallici erant. Pater Biturigis oriundus erat, sed in aliam nationem immigraverat, fortasse propter hæreticas de religione sententias. Natus est Franciscus Junius Edelbergæ, educatus Lugduni Batavorum, qua in urbe ejus pater sacras scripturas docebat.

tum ex Cassiodoro vel Martiano Capella. Hic cumulus, ne dicam liber, densus et asper, in quo continuatio locorum undique surreptorum caput dicitur, in tres libros dividitur, in quibus reperire est : « *Quid picturam inchoaverit, quid eam provexerit, quid eam perfecerit.* » Tertium autem et amplissimum, in quo explicata est quasi doctrina de pictura, sæpissime legerunt et coluerunt æquales.

Nam eo tempore plurimi æstimatum est hoc opus, a quo omnes hodie, præcipue artifices, propter asperitatem abhorrerent. In anglicum conversum est, anno 1638, in flandricum, anno 1641; denique anno 1695 altera editio in lucem prolata est Roterodami cum multis indicibus, ita ut opus factum sit repertorium ingens. Dicitur quoque hic liber lectus fuisse et laudatus ab artificibus quales Rubens et Van Dyck; sed hoc feliciter eis nobisque evenit quod, quamvis rerum antiquarum curiosissimi essent, non mutaverunt tamen quam artis rationem propter indolem ingeniumque sequebantur, ut huic doctrinæ parerent non ex natura ortæ sed hominum et recentiorum mente factæ, quippe quæ etiam nullis adhuc perstantibus antiquis operibus confirmari videretur.

Sed ea causa præcipue Nicolao Poussin et abbati de Chambray et multis æqualibus Francisci Junii auctoritas magna erat, quod crederent in his excerptis congestisque verbis, cum abessent antiquorum præceptorum libri, illorum meram de pingendi arte doctrinam inveniri. Sunt etiam qui excerpta ipsa haurirent, quibus in propriis libris uterentur : miramur enim nonnunquam quod tam docti fuere XVII° sæculo critici quidam, ut Rogerius de Piles, qui in *Adnotationibus* de Caroli Dufresnoy poemate auctoritatem affert multorum scriptorum quibus non studuit, quos etiam non perlegit; sed copiosum Junii repertorium omnes in promptu habebant.

Denique rem quamdam diximus in hoc libro fuisse cui Nicolaus Poussin maximam operam dederat, « *divisionem* » dico. Eam quoque serviliter sequitur Fréart de Chambray in sua « *Idée de la perfection de la peinture* », et breviter interpretatur : id est, *quinque capita ab antiquioribus in pictura observata*, quæ sunt : *inventio, sive historia, proportio, sive symmetria, color et in eo lux et umbra, candor et tenebræ, motus et in eo actio et passio ; collocatio denique sive œconomica totius operis dispositio.*

Atqui Fréart de Chambray, qui antiquam picturam, quamvis fere totam ignoret, devotissime tamen admiratur, non dubitat quin, cum e locis etiam inter se non congruentibus constet hæc illaque præcepta ab antiquis pictoribus observata fuisse, illa sine dubio sint Artis dogmata ipsa, in quibus observandis salus una esse videatur. Dufresnoy ipse, cujus ingenium plura complectitur, et quamvis, ut infra videbimus, modo quodam intellegat incerta tantum de antiquorum pictura dici posse, hanc tamen divisionem, paucis fere mutatis, sequitur.

Primum quoque locum *inventioni* dat et maximum; et quia strictius fortasse apud illum omnia composita sunt quam in Junii libro, proportio et actio ordoque secundam et eamdem obtinent partem, cujus nomen est *graphis* quæ in aliis etiam particulis divisa est, in qua omnes Junii partes reperiuntur. *Color* autem propriam habet partem et majorem semper in dies futuram; nam, quamvis maximam adhibeat auctor operam umbræ lucisque scientiæ, multum abest quin colorem ipsum negligat, quem ceterum minus etiam Rogerius de Piles in *Adnotationibus* neglexisse videtur. Sed nunc tantum nobis accurate notandum est ex ipso poematis titulo Carolum Dufresnoy eadem de his rebus sensisse ac Franciscus Junius et Fréart de Chambray. Liber enim in priore editione designatur ut : *diathesis graphidos et chromatices trium picturæ partium antiquorum, ideæ artificum nova restitutio.*

Quod si ex his Leonardi, Lomazzo, Francisci Junii libris, Carolus Dufresnoy sive præcepta quædam, notasque hauserit de doctrina utilia, sive operis ordinem ipsum, constat fuisse scriptorem qui ei in poemate ipso scribendo semper in promptu sit, eumque regat, Horatium dico et ejus *De arte poetica* librum. Etenim, ut postea Nicolaus Boileau, non dubitat quin in *Epistola ad Pisones* contineantur non præcepta solum et notæ parum ad doctrinam constituendam aptæ, sed ex illa Epistola doctrinam haurire vult ad usum æqualium artificum, ut Nicolaus Boileau ad usum poetarum. Legitimum ceterum pictoribus atque poetis easdem esse leges putat; et statim ab initio poematis affirmat sorores esse picturam atque poesim, quo velut axiomate vulgo omnes æquales utebantur, antiquum quemlibet scriptorem ut auctoritatem invocantes alii Ciceronem, qui in Rhetorica apud Herennium scribit *Poema loquens pictura, pictura tacitum*

poema debet esse, alii Plutarchum, qui, secundum Coypel (1), eadem fere dicit in suo *De poetis legendis* libro; quam scientiam omnes sine dubio e Junii libro acceperant. Nullus enim est qui, sive sermone pedestri, sive versibus de pictura loquatur, non hunc attingat locum. Qui, ut aliquis eorum ait, esse videbatur *un commun proverbe*, quem Fréart de Chambray, Molière, Coypel pariter ac Dufresnoy adhibuerunt.

Instat Carolus Dufresnoy in poematis ipso initio, et, ut romanum scriptorem sequatur, exordium de Horatio sumit, quem male quidem intellegit. Nam hic *Ut pictura poesis erit*, qui in Horatii *De Arte poetica* libro est, non doctrinam ad omnia aptissimam affirmare vult. Hoc tamen auctore, quamvis nulla, propius quidem inspicienti, in iis verbis sit auctoritas, Carolus Dufresnoy affirmat tamen eamdem esse picturæ laudem atque poesi, idem studium, *quærenda consortia argumenta* (2) et *studia coeuntia*. Unde constat et necesse est alterutram, cum eamdem naturam finemque habeant, easdem vias habituram esse et leges. Quapropter et Rogerius de Piles in suis *Adnotationibus* jubet Horatii de *Arte poetica* librum ab artificibus legi, « *à cause du rapport que les préceptes de la poésie ont avec ceux de la peinture* » (3), et Carolus Dufresnoy sententias per totum poema haurit, verba et versus etiam e romani poetæ libro excerpta.

Identidem Rogerius de Piles in suis *Adnotationibus* : sententias enim Caroli Dufresnoy illustrabit aliis Horatii verbis, aut eas cum re tragica vel comica comparando. Nicolaus Poussin ipse, si notis a Bellori editis (4) fidere licet, hanc pingendi artem et via et modo cum dicendi arte conferebat. Ceterum videbimus quot principia, quæ præcipue Carolus Dufresnoy dilexit, ita congruant cum his quæ vigerent in ingenio cujuscumque classici scriptoris, vel poetæ vel oratoris, hoc saltem XVII° sæculo, ut fere similia sint.

Horatium quoque Carolus Dufresnoy imitatur, cum dogmaticis principiis, quæ quasi opus ipsum sunt, moralia addit præcepta, qualia dare possit amicus de amici vita etiam privata,

---

1. *Épitre à son fils ;* préface.
2. V. 16.
3. In v. 76, p. 129.
4. *loc. cit.*

et quæ fortasse inter elatissima optimaque ejus operis sunt. Imitatur quoque in carmine ipso quamdam sermonis facilitatem et negligentiam etiam, quæ rerum quidem ordinem sequitur, sed transitiones libenter omittit, ne opus nimis dogmaticum et magistri disciplinam redolens esse videatur, nedum amputatis Leonardi notis similis sit.

III

Denique aliquid est accurate notandum, sive ab Horatio acceperit, sive ex ingenio ipso hauserit, in poematis saltem proœmio. Supra enim diximus quomodo XVII° sæculo mutata esset *Epistolæ ad Pisones* significatio, ita ut in ea doctrinam et præcepta et leges includi crederent. Quem interpretandi falsum modum Carolus Dufresnoy non fugit omnino; didacticum quoque opus, ut credebatur Horatius fecisse, lectori vult tradere, affirmatque non sibi opus esse poetarum venustatibus, cum :

Ornari præcepta negent, contenta doceri (1).

Attamen quamvis præcepta det et leges, non putat doctrinam suam quasi dogma futuram esse immutabilemque normam, quæ peranguste artificis libertatem impediat, et disciplinam imponat atque perfectam absolutamque pulchritudinis speciem, ex qua deflectendi licentia nunquam detur, *etiam sumpta pudenter* :

.... licet tota normam haud possimus in Arte
Ponere, cum nequeant quæ sunt pulcherrima dici (2).

Minime enim credere videtur pulchritudinis definitionem in manibus esse, unde normam non minus necessariam haurire liceat. In alio loco hanc pictoribus proponit materiam, scilicet : « *quod pulchrum aspectu* » (3) : meminisse autem licet Nicolai Poussin dicentis picturam habere finem « *la délectation* » (4) et Nicolai Boileau,

Le secret est d'abord de plaire et de toucher.

1. V. 29.
2. V. 60-61.
3. V. 6.
4. *Epistolæ*, éd. *Quatremère de Quincy*, p. 347.

Nihil igitur Carolus Dufresnoy facere vult nisi consiliis tantum « *excolere mentem, habilemque facultatem indolis* », nam « *genium scientia complet* » (1), et licentiam nimiamque regere facilitatem et « *luxuriantem furorem* ». Ex quibus concludit his moderatis verbis, ex Horatio sumptis :

Est modus in rebus, sunt certi denique fines
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Est igitur modus in Caroli Dufresnoy sententiis; nulla vero moderatio supererit in his absolutis, quæ mox nascentur et primum in lucem venient cum abbatis de Chambray libro *L'idée de la perfection de la peinture*, et summæ fient, cum Academia illam classicam doctrinam, quæ Romæ, Nicolao Poussin et Carolo Dufresnoy auctoribus, nata erat, quasi adoptabit et legum ritu edicet. Sibi enim proponebat, ut ait Testelin in publica oratione, « *d'élever les étudiants par des règles assurées* » (2). Idem voluisse videtur Testelin, cum fecit has notissimas *Tables de préceptes*, et, si per sæcula longius progrediamur, multos etiam videamus, ut Ludovicum David ejusque discipulos *théoriciens du beau idéal* (3), qui decreto sentiant « *quæ sint pulcherrima* » ad quæ assequenda disciplinam strictam atque absolutam sibi imponere necesse est.

1. V. 65.
2. Testelin, *Sentiments des plus habiles peintres*, préface.
3. Cf. F. Benoît, *L'art français sous la Révolution et l'Empire*, chap. II, p. 26-57.

CAPUT TERTIUM

I. — Caroli Dufresnoy poema primum *classicam doctrinam* exponit. — Quomodo hæc doctrina nascatur. — Qui illi se opposuerint. — De Simone Vouet et « *cabalistes* » et « *libertins en peinture* ». — *Naturæ imitatio* etiam atque etiam jussa. — Cur opportune hoc principium proponatur. — Statim duplici modo correctum, necessitate et in natura ipsa seligendi et antiquos sequendi. — Exponitur doctrina *pulchræ naturæ*. — Naturæ *antiquitas* speculum. — Antiquitatis cultus. — Genus gothicum et præcipue gothica ornamenta odio sunt.

II. — *De Inventione*. — Quomodo materia eligatur. — Nobilitas, magnitudo, virtutes necessariæ. — Cogitatio necessaria. — Opus uno adspectu complectendum, antequam efficiatur. — Ars voluntati parens et strictim pressa. — Quidquid inutile omittendum. — Quantum valeant, scriptoris sententia, hæ formæ virtutes.

III. — *De graphide*. — Antiquum exemplar. — Exponuntur figurarum libratio, sinus undantes, etc. — De eurythmia vel proportione. — De pannis præcepta, ex antiquis quoque assumpta. — Pannus corpori adhærens. — Cumulorum ordo. — Harmonia, symmetria et oppositio in opere toto disponendo, Quomodo ars cum classica scena congruat. — Ordo, simplicitas, exiguus figurarum numerus. — Majestas in opere toto et quies. — De *affectibus* effingendis. — Universalia tantum præcepta dat Carolus Dufresnoy. — Ex Carolo Le Brun affectuum doctrina. — De posituris et gestu expressivo quid Nicolaus Poussin. — De gesticulatione academica.

IV. — *De chromatice*. — Abest veterum auctoritas. — Quantum locum in poemate habeat hæc picturæ pars. — Contraria sentiunt abbas de Chambray et Nicolaus Poussin. — Color ipse curæ esse debet pictori pariter atque lumen et umbra. — Quorum auctoritas ad hoc probandum allata sit, Titiani, Venetianorum, etc. — Consilia quæ ad usum pertinent. — Doctrina dicta « *des valeurs* » jam quasi adumbratur. — Quomodo dogmata fiant. — Judicii exiguitas. — Nullo alio modo artifex recte pingere potest nisi illo qui a scriptore commendatur. — Colorum dispositio ut aliæ pictoris partes, ad operis harmoniam tantum pertinet.

V. — Quæ finis poematis. — De summa Arte præcepta. — De artificis disciplina per antiquos et XVI[i] sæculi magistros. — Quomodo sit laborandum. Austeritas in vita commendatur et dignitas in animo. — Quomodo hæc perfecti artificis effigies cum Nicolai Poussin ingenio et vita congruat.

I

Hæc autem Caroli Dufresnoy doctrina, quamvis neque tam stricta sit neque tam absoluta, similis tamen est in intima parte hujus, quæ ab Academia accepta (1) est et in Academicorum colloquiis vel quibuscumque libris certis verbis concepta est. Quapropter etiam, ut incipientes diximus, maximi momenti est Caroli Dufresnoy liber, quia originem aperit hujus academicæ doctrinæ, quæ per secundam XVII[i] sæculi partem Artis regnum obtinet, cum conceptus sit liber et pro maxima parte scriptus ante annum 1648.

Primum autem nobis quærendum esse videtur, utrum hæc doctrina accepta et concepta sit quasi sponte sua et facile, an potius, ut plerumque evenit, ex adversa et triumphata doctrina orta sit, et ex principiorum affirmatione, quæ maxime contraria essent his principiis eo tempore plusve minusve acceptis. Liber enim Nicolai Boileau *de Arte poetica* scriptus est ut quasdam defenderet partes, et doctrinam sustineret illorum scriptorum, quibus nomen datum est : « *École de 1660* ». Atqui ut illis qui res primo conspectu observant, hæc doctrina, cui parent opera omnium classicorum poetarum maxima, nostra quidem sententia, atque optima, facile et quasi suapte vi accepta fuisse videtur, at qui propius accedet, statim se erravisse intelliget, et prælium fuisse commissum et victoriam reportatam ; ita primum affirmatum est Carolum Dufresnoy illosque, qui classicæ artis leges posuerunt, non necesse habuisse, ut Nicolaus Boileau facere debuit, bello persequi quod appellabatur « *le faux goût* ». Sic tamen paululum a veritate desciscitur.

Haud sane dubium est quin hæc doctrina quasi sponte ex illa,

---

1. Cf. Jouin, *Conférences de l'Académie royale de peinture et de sculpture.*

quæ XVI° sæculo florebat, orta sit; initio autem XVII[i] sæculi et per ejusdem priorem partem (1), cum principia omnia etiam contraria una vivunt et parum cohærent, tum et perstat vetus illa ars, cui quidquid in natura sit effingendum est, et nascitur, Italia magistra, sed Italia in deterius delapsa, ars altera, quæ splendida est et facilis et ad decorationem apta, sed sine animo, sine severitate, sine gravitate, sine formæ peritia, sine affectuum cura, quæ omnia Nicolai Poussin ars, ut exemplo utar, propria habet. Quam artem in lucem protulit ipse Simo Vouet, cujus permagna fuit auctoritas et gloria ab anno 1624 ad annum circiter 1640.

Atqui hujus artificis eorumque qui eum secuti erant principia vel modum rejecerunt Nicolaus Poussin ejusque amici, cum Romæ novam doctrinam condiderunt pariter atque spreverunt artem Petri da Cortone, Josepini, etc., quorum in manibus Carratiorum schola in pejus ruit. Scimus quidem Nicolaum Poussin, cum conatus est Lutetiæ, annis 1640-42, ut hæc doctrina æqualium studio probaretur, deceptum fuisse nec obsistere potuisse Simonis Vouet fautoribus. Amicorum autem acerbitatem ita ira auxit ut abbatis Fréart de Chambray liber reipsa nihil aliud sit nisi convicium adversus quoscumque appellat « *Cabalistes* », scilicet hos pictores, qui tunc florent, quamvis sint, ejus quidem sententia « *paresseux, ignorants et révoltés* », et « *qu'ils aient introduit je ne sais quelle peinture libertine et entièrement dégagée de toutes les sujétions qui rendaient cet art autrefois si admirable* (2) », etc. Quod verbum « *autrefois* » significat antiqua tempora atque hanc ætatem, ubi florebat Apelles, quem Fréart de Chambray, etsi nihil aliud de illo cognoverit nisi quæ huc et illuc collegerit Franciscus Junius, vixisse tamen credit in picturæ ætate aurea, cum omnis bona disciplina vigeret et coleretur.

De Carolo Dufresnoy fere eadem dicere possumus. Doctrinam quidem suam potius suadere videtur quam inimicorum incusare; nonnulli tamen sunt loci, etiamsi hunc prætermisimus in quo agitur de « *pictore malo* » ad doctrinam cujus fugiendam

1. Cf. Lemonnier, *L'art français au temps de Richelieu et de Mazarin*, passim.

2. *Idée de la perfection de la peinture.*

discipulos hortatur, qui reipsa scripti fuerint, ut aliquid probaretur *adversus* aliquem. Ceterum illum ita fecisse nos monet Rogerius de Piles diligenterque significat *adversus quem* hoc vel illud præceptum certis verbis conscripserit.

Itaque ut exemplo utar, cum de natura imitanda agitur, quam doctrinæ partem primum in lucem proferre velimus, affirmat Caroli Dufresnoy amicus et adnotator (1) præceptum stare adversus hos quoque qui « *sont trop attachés à la nature* », et adversus illos qui « *peignent toutes choses de pratique sans pouvoir s'assujettir à rien retoucher ni examiner sur le naturel. Ces derniers sont proprement des libertins de peinture, comme il y en a de religion, lesquels n'ont point d'autre loi que l'impétuosité de leur inclination, qu'ils ne veulent pas vaincre, de même que les libertins de peinture n'ont point d'autre modèle que la boutade d'un génie mal réglé qui les emporte.* » Eadem vero sentiebat abbas de Chambray et prope sine dubio Nicolaus Poussin ipse, quippe qui maximam primum operam daret naturæ studio, quamvis quidquid ex illa haurire potuisset plerumque emendaret, quo modo infra demonstrabimus.

Naturæ igitur studium et veri imitationem primum præscribit Carolus Dufresnoy

... rerum ut pollens ars cognitione gradatim
Naturæ sese insinuet, verique capacem
Transeat in genium (2)

et alias naturam ipsam vocat : « *Testem rei naturam artisque magistram.* »

Hæc enim via est, qua sola quod sibi proponere debeat artifex, attingat.

.... bene agendi terminus unus
Linea recta velut sola est (3).

Profecto Nicolaum Boileau ipsum loqui credas

Rien n'est beau que le vrai.

Putat autem S. Rocheblave, qui optime hæc Caroli Dufresnoy notavit, nihil aliud illa esse nisi : « *une pompeuse formule qui n'est*

1. Adnot. in v. 177.
2. V. 35.
3. V. 183.

là que pour la bienséance, que rien ne vient éclairer et que tout concourt à contredire ». Videbimus quidem quomodo et quantum quæ jam ab initio scriptor affirmare voluerit, mox tamen emendaturus sit. Sed hoc sine dubio doctrinæ principium est, gravissimum quidem; nam priorem obtinet locum in arte, quæ Nicolai Poussin menti satisfaciebat, et manum dirigebat, quæ a plerisque circiter anno 1660 accepta fuerat, cum in litteris, tum in pictura, scilicet ars rebus propior, altior et firmior.

Notandum est autem illos, qui doctrinam quamcumque mutaverint naturam semper propius assequi voluisse. At tunc quæ affirmabant illi non in verbis tantum posita erant, nec inutilia fuisse videantur illi qui consideret opera *Jacobi Blanchard* et *Laurentii Lahire*, vel quales delineationes scalpsit *Chauveau* et quibus illustravit illos libros *Alaric*, *Artamène*, aut *Pharamond*, quos incusabant scriptores ut Nicolaus Boileau, prope iisdem vitiis ac quæ in delineationibus erant.

Quod igitur facient, exeunte XVIII° sæculo, qui Ludovici David disciplinam sequentur, cum reducere volent ad severiorem graphidis modum gallicos pictores quorum ars lepida olim fuerat et jucunda, sed magis magisque in dies facta erat tantum, ut dicebant, « *de pratique* ». Attamen qui artifices Nicolaï Poussin disciplinam sequuntur pariter ac qui Ludovici David, ubi affirmaverunt necesse esse propius insectari naturam, huic principio aliquid duplex et gravissimum addunt, quod in Caroli Dufresnoy libro jam ab initio, post versus quos supra notavimus, legi potest.

Sed juxta antiquos naturam imitabere pulchram. (1)

Pulchra igitur natura sola primum imitanda est artifici, vel, ut dicere solebant classici, et ipse Rogerius de Piles, « *le beau naturel* ». Quæ ceterum ille verbis, quibus in Gallicum vertit « veri capacem » (2), copiose quasi illustrat. « *Il faut que ce pur génie devienne capable de bien choisir le vrai, et de savoir faire le discernement du beau naturel d'avec le bas et le mesquin.* » Quod si

1. V. 184.
2. V. 35.

hanc quoque selectionem Carolus Dufresnoy non illis versibus notat, at saltem infra non obliviscitur. Ita versu 51 :

Seliget ex illa tantum pulcherrima pictor.

Planius rem faciet Rogerius de Piles in Adnotationibus, dicens : « *il faut rejeter les fautes que fait la Nature* ». Addet etiam Carolus Dufresnoy necesse esse naturam ipsam corrigi

Quodque minus pulchrum aut mendosum corriget ipse

In his quoque Nicolai Poussin « *Observationibus* » quas edidit Bellori (1), est caput in quo demonstratur : « *Come l'arte avanzi la natura.* » animadvertitque quomodo artifex pulchritudinis, cujus elementa e plurimis exemplis non ex uno hauriat et cohæreat, imaginem formare debeat.

Fixa igitur et firmata est doctrina de naturæ imitatione ; proscripta omnium rerum sine selectione imitatio. Illos vero, qui hæc principia omiserunt, significavit Carolus Dufresnoy ; sed eos detexit Rogerius de Piles, cum in Adnotatione in versum 37, locutus est de « *ces peintres flamands, dont la plupart savent imiter la nature pour le moins aussi bien que les peintres des autres nations, mais qui en font un mauvais choix* ». Magis sane ingenui, aut magis naturæ observantes, atque ei fideles, pictores ut fratres Van Eyck aut Albertus Dürer, diligenter abstinuissent profecto ne quid mutarent vel paululum his rebus quas sub oculis haberent aut substraherent quidquid personas et insignes et vividas faceret.

Verum ex illa doctrina « *du beau naturel* » hauriri facile possit hæc doctrina « *du beau idéal* » quam laudabat Quatremère de Quincy, et postquam suasum est, quod fecit Carolus Dufresnoy, ut naturam emendaret pictor et ad antiquorum pulchritudinem reduceret, mox cogetur ille « *à réduire le profil d'un nègre à celui d'Antinoüs* », ut aiebat facete Eugenius Delacroix.

Hoc vero differt utriusque temporis disciplina quod XVII° sæculo, Caroli Dufresnoy saltem tempore, non definiuntur adhuc certis et abstractis verbis quas virtutes illa pulchritudinis species contineat, ut, abjecta omni cunctatione, facient qui postea dicentur « *les ultra-classiques* ».

1. *Loc. cit.*

In hac autem *pulchra natura* invenienda unum et eumdem rectorem habet artifex, præter ingenium, scilicet hanc antiquorum auctoritatem, quæ jam mentionem obtinet in versu supra notato, et artificis supremum auxilium in omnibus paginis, per Caroli Dufresnoy totum poema, vocata est. Ita cum versu 38, scriptor affirmat in primis oportere :

Nosse quod in rebus natura crearit ad artem
Pulchrius,...

addit continuo :

.... *idque modum juxta mentemque vetustam.*

Atqui hanc antiquorum auctoritatem, normam pulchritudinis habitam et quasi mensuram, quamvis in Caroli Dufresnoy libro non tum primum in lucem allata sit, nemo tamen fortasse antea disertius quam ille et acrius in libro notavit. Antiquitatem jam in proximo sæculo, multi sine dubio noverant dilexerantque, quos inter Leonardus da Vinci : neminis autem in animo venit discipulos cogere ut ad naturæ speciem effingendam opera tantum antiqua imitarentur. Ait enim Leonardus, capite 43 (Ed. 1651) : « *Deve il pittore far la sua figura sopra la regola d'un corpo naturale, il quale comunemente sia di proportione laudabile* ». Jam his verbis ut principium videmus proponi, naturam pulchram imitationis materiam fore, sed non hanc solam naturam quam antiqui imitati sunt. Caroli vero Dufresnoy æqualium de sententia, antiqui pulchritudinem ipsam effecerant ; quin etiam, naturam ipsam vicerant :

Naturam visa est miro superare labore. (1)

nec quisquam eos æquare potuit.

... *queis posterior nil protulit ætas*
Condignum, et non inferius longe arte modoque. (2)

Talia apud Carolum Dufresnoy ; et apud Nicolaum Poussin ad dominum de Chantelou scribentem reperiamus : « *Quant à la sculpture, est-ce que quelqu'un, hors la main des Grecs, l'a jamais vue vivante ?* » (3)

---

1. V. 96.
2. V. 101-102.
3. *Epistolæ,* 7 avril 1647. Ed. Quatremère de Quincy, p. 260.

Itaque si artis culmina illa tentare voluerimus, antiqui quam fidelissime a nobis imitandi sunt. Notandum quidem est easdem a Nicolao Boileau rationes afferri in notissima illa « *Querelle des Anciens et des Modernes* » et apud eum Johannem Racine, ceteros recentiores superavisse dici, ut Nicolaus Poussin a Carolo Dufresnoy existimatur, quod optime omnium antiquos imitatus sit. Sed cum abbas Fréart de Chambray antiquam picturam cum sui temporis confert, eisdem rationibus ac postea Nicolaus Boileau antiquam tragediam cum XVII[i] sæculi, modum et veritatem excedit et prope ridiculus fit, quia quas virtutes haberet antiqua pictura de visu judicare nequibat, quippe qui ignoraret Pompeiorum murales picturas, nec iis etiam quæ græca vasa decorant uti in mente haberet.

Carolus Dufresnoy autem, cujus in mente major prudentia est et judicium, antiquos colit et veneratur paulo sapientius. Antiquis enim studere utile esse dicit, quod artificis ingenium acuant.

Splendidior quippe ex illis assurgit imago
Magnaque se rerum facies aperit meditanti (1).

Ea causa artifices hortatur ut omnibus studeant rebus quibus antiquorum artem et vitam cognoscere possint. Quas res enumerat omnes, et, quod mirabile videbitur, non ut graphidos magister, sed potius tanquam archæologus vel antiquarius :

Non te igitur lateant antiqua numismata, gemmæ,
Vasa, typi, statuæ, cælataque marmora signis,
Quodque refert specie veterum post sæcula mentem.

Hujus autem scientiæ in qua perpauca etiam ab antiquis tradita non negleguntur, curiosi tum primum fuere, qui tempore comitis de Caylus vixerunt. Caroli vero Dufresnoy ætate, statuæ tantum quæ pulchritudinis et mensuræ exemplaria afferunt, documento sunt. Ceterum illas statuas Carolus Dufresnoy ipse testes citabit, cum graphidos principia docebit, postquam admonuerit antiquitatis scientiam necesse esse ad materiam eligendam et disponendam *juxta textum antiquorum*.

---

1. V. 189-190.
2. 186-188.

Sed non videtur unquam putavisse fore ut alia materia atque antiqua ab arte tractaretur. Poematis enim initio, cum enumerat inter omnia quæ pictoribus materiam præbere possunt : « *religionis sacros honores* » inquirere licet christianamne religionem significare voluerit, an antiquam. Rogerius de Piles ipse, cum verbum explicat « *puellis* » (1), quo Carolus Dufresnoy usus fuerat, dicet scriptorem hoc verbo significavisse : « *toutes les personnes jeunes, sveltes, de taille dégagée, légères et délicates comme sont les nymphes, les naïades, les fontaines, et aussi les anges* ».

Atqui quid vere Carolus Dufresnoy de illa antiqua arte scire potest ? quid de ejus historia ? De qua sæpe quidem loquitur in poemate, sed verbis incertis. Facile tamen intellegi potest illi non aliter atque omnibus æqualibus artem antiquam quasi corpus esse quod totum admiratur; ejus autem partes quomodo per tempora ortæ sint et mutatæ, haud diligenter novit. Neget profecto erravisse Rogerium de Piles, qui, cum certa tempora indicere vellet, hanc scripsit antiquæ artis definitionem, archæologi temporis nostri opinione non nihil sane abhorentem : « *On appelle antique ce qui a été fait depuis Alexandre le Grand jusqu'à l'empereur Phocas* ». Artis igitur antiquæ ponebat ortum eo tempore quo senectutem incepisse credimus (2). Legimus quoque in *Adnotationibus* principis editionis picturam ortam esse « *tempore Alexandri Magni* »; additur etiam : « *Apparuit mirabilis sub Domitiano, Nerva et Trajano; obdormuit tandem ad annum* USQUE 1520 *nostræ salutis; oscitat adhuc hodie et quasi moribunda labascit* ».

Nam præter hanc antiquam artem, omnia barbara sunt et Carolus Dufresnoy non sine colore versibus, quorum verba tantum nec lumina, nec brevitatem Molière imitabitur, illustrat hanc artis antiquæ per tot sæcula mortem (3) :

Queis ubi bella, famem et pestem, Discordia, Luxus,
Et Romanorum res grandior intulit orbi.
Ingenuæ periere artes, periere superbæ

1. In v. 211.

2. Cf. quoque *Adnot.* in v. 95, in qua, posquam demonstravit antiquam artem perfectam fuisse ab Alexandro usque ad Augustum, notat quoque illam tum in deterius lapsam esse, deinde iterum, Antoniis principibus, floruisse.

3. V. 242 sqq.

Artificum moles, sua tunc miracula vidit
Ignibus absumi Pictura, latere coacta
Fornicibus, sortem et reliquam confidere cryptis,
Marmoribusque diu Sculptura jacere sepultis.
Imperium interea scelerum gravitate fatiscens
Horrida nox totum invasit, donoque superni
Luminis indignum, errorum caligine mersit,
Impiaque ignaris damnavit sæcla tenebris.

Nihil igitur genuerunt illa sæcula quibus abfuit purum antiquæ artis lumen, nisi *monstra,* nec necesse est copiosius dicere quanto contemptui, odio et inscientiæ Carolo Dufresnoy sit genus gothicum. Eadem vero atque omnes æquales sentit. Ita in *Adnotationibus* etiam Rogerius de Piles multa affert de suo. Dicit enim : « *tout ce qui n'a rien du goût antique s'appelle manière barbare ou manière gothique, laquelle ne se conduit par aucune règle, mais par un caprice bas et qui n'a rien de noble* ». Ceterum apud Fénelon (*Dialogues sur l'Éloquence*), La Bruyère (*Caractères. — Des ouvrages de l'esprit*), Boileau aut Félibien, similia judicia multa reperienda sint de medii ævi artibus, litteris atque viris.

Attamen notandum est a poeta monitos esse artifices ut præcipue vitarent *gothorum ornamenta;* si quid expresse significat illud verbum, si omne genus non proscriptum est, saltem eum imprimis lædit *gothorum ædificiorum decoratio.* Quod si enim jam XVII° sæculo sunt et scriptores, classici etiam ut Felibianus, qui majestatem et magnitudinem illorum ædificiorum miratur, quod si XVIII° sœculo plures etiam ita sentient et clarius dicent, nemo unquam erit qui hunc ornationis modum intellegat densum, crebrum, nunc naturam, nunc licenter ficta sequentem, cum omnium mentes assuetæ fuere his figuris dilucidis, simplicibus, jejunis etiam, quas effinxerant græci romanique artifices et tunc effingebant recentiores eorum imitatores.

II

Vidimus igitur supra quæ principia, quæque fundamenta Carolus Dufresnoy suæ de Arte doctrinæ imposuisset, nunc inquiremus quomodo hanc in poemate exposuerit.

Primum locum obtinet in illa partium divisione, quam laudavimus, *inventio*, qua eligitur et disponitur materia. Atqui cum vult poeta significare cujus generis esse debeat totius operis thema, hoc futurum esse dicit « *nobile* », quod verbum XVII° sæculo adjungi licet omnibus operibus, sive ad artem, sive ad litteras, sive ad mores pertinentibus, et a Nicolao Poussin ipso scriptum est in hac epistula quam supra usurpavimus (1663) : « *Pour ce qui est de la matière, elle doit être prise* NOBLE », et in Bellori observationibus, cum describit « *la maniera magnifica* », id est « *le grand style* » affirmat hoc positum esse in materia « *grande come sarebono, le battaglie, le attioni heroiche e le cose divine* ».

Ceterum hanc nobilitatem in materia ipsa inesse oportet, nec fas est mediocrem sumi materiam vel vulgarem etiam, ut plebeianam personam aut locum ignotum, quam augere et illustrare toto ingenio conentur artifices, ut fecere Rembrandt, Millet et Corot. Ait enim Nicolaus Poussin : « *La matière ne doit recevoir aucune qualité de l'ouvrier,* » et Carolus Dufresnoy qui eadem sentit atque docet, hanc materiam futuram esse : « *venustatum sponte capacem* (1). » Nec tamen satis est : necesse est hoc *thema*, nobile atque pulchrum, docere animos et iis quasi lumen afferre, « *retegens aliquid salis et documenti.* » Vult igitur poeta Ars ad mores pertineat, et pictor, ut exemplo utar, aliquam rerum gestarum clarissimam effingat, ut nos ad similia efficienda hortetur. Hæc est quoque Rogerii de Piles sententia in *Adnotationibus* (2), hæc Nicolai Boileau in *de Arte poetica* libro (3) cum dicet :

Qu'en savantes leçons votre muse fertile
Partout joigne au plaisant le solide et l'utile.

Hujus igitur materiæ, quæ artificem tanquam propriis virtutibus sustinere debet, delectus permagni momenti erit, et multam cogitationem requiret. Itaque tantum incipiendum erit opus cum non solum materia ipsa permulta cogitatione selecta fuerit, sed etiam hujus materiæ dispositio, et figurarum ordo posi-

1. V. 71-72.
2. In v. 68.
3. Art poétique, IV, v. 87-88.

turæque et luminis colorisque collocatio; tunc demum artifex pingere incipiet. Multæ enim Nicolai Poussin epistulæ certiores nos faciunt hunc artificem diuturna cogitatione antequam opus quodcumque inciperet uti solitum fuisse. « *Je ne penserai désormais à autre chose qu'à trouver quelque belle et convenable disposition au dit sujet* (1) », vel : « *Je rumine souvent à mes heures d'élection la conversion de St-Paul* (2). — *J'ai trouvé la pensée de votre ravissement de St-Paul et, la semaine prochaine, je l'ébaucherai* (3). — *J'ai trouvé la pensée de son tableau* (*M. Delisle*), *je veux dire que l'idée en est conçue et que le travail de l'esprit est achevé* (4). » Eadem significabit Racine, dicens : « *Ma pièce est faite, je n'ai plus qu'à l'écrire.* » Bis autem Carolus Dufresnoy hunc laborem nobis commendat, et poematis initio, cum de Inventione loquitur, et ad finem, cum de usu ipso artifici dat consilia, suadet eum, ut, priusquam penicillum in manibus habeat,

... menti præsens operis sit pegma futuri.

Unde constat quanti hoc præceptum faciat.

Quæ ars ex illo pingendi modo fiet? Scilicet quæ in Nicolai Poussin operibus fulget, in qua omnia penitus cogitata fuerunt, et opus omne non quæcumque lubido regit, sed una voluntas et mens una, quibus ars et maximam brevitatem et vigorem acquirat. Nonne ceterum eodem modo efficta est classica tragœdia, in qua et fabula et animi affectus atque motus quasi in fascem conglomerantur, ex quo quidquid est inutile accurate ejectum est. Quam similitudinem notat ipse Carolus Dufresnoy (5).

..... tragicæ sed lege sororis,
Summa, ubi res agitur, vis summa requiritur artis.

His vero principiis ducitur fore ut artifex negligat quodcumque ad fabulam ipsam non pertineat :

Quod inane, nihil facit ad rem.

---

1. Epistula ad M. de Chantelou, 1641. Ed. Quat. de Quincy, p. 49.
2. Epistula, 26 décembre 1655, ibid., p. 338.
3. Epistula, 25 août, ibid., p. 132.
4. Epistula, 22 décembre 1647, ibid., p. 280.
5. V. 84-87.

Non quidem est locus, in hac arte quam ratio ipsa ducit, his insolitis et jucundissimis figuris ut famulis, nigris hominibus, pumilis, scurris, animalibus, in quibus quasi ludebat Pauli Caliari Veronensis, aut Petri Pauli Rubens ingeniosa mens, quæque manus, oculis potius gaudentibus quam ratione probante, quasi sponte effingebat; et simius profecto quem Albertus Dürer juxta Virginem effinxerat videbatur XVII° sæculo monstrum esse, nec difficile est perspicere quid senserint de his canibus quos P. P. Rubens in fronte tabulæ quasi spectatores pinxerat reginæ Mariæ Medicææ, in Dyonisii abbatia coronam accipientis. Hujus modi sane figuræ erant quas Rogerius de Piles in *Adnotationibus* (1) facete vocabat « *figures à louer* », quæ a Simone Vouet ejusque discipulis nonnunquam non spretæ fuerant sed quæ periere omnino cum vicit ars classica circiter anno 1660. Petrus Mignard ipse, Caroli Dufresnoy amicus, non semper abjecerat illas figuras « *de remplissage* ». Quod illi crimini vertebant critici circiter anno 1670; nam in poemate quo illi « *de la Gloire du Val de Grâce* » responsum est legimus (2) :

D'où vient que ce grand peintre a mis
Des bêtes dans le paradis?

Ceterum si propius animadverterimus ipsa Caroli Dufresnoy verba, videbimus eum noluisse omnia hæc adventicia omnino tolli, sed tantum *non potiora tenere ornamenta operis*. Non permissum quidem esse existimet olerum et cibariorum congestum, qui in tabula Petri Rubens « *Philopœmen* » (3) oculos potius quam prima figura in se convertit. Legitima quidem hæc modi ponderisque cura et plane congruens cum illa moderata arte quam conceperat Carolus Dufresnoy et effinxerat Nicolaus Poussin. Sed illa via ducit quoque ad hanc Academicam sententiam quæ pro vitio habebit bovis asinique figuras quas artifices in Præsæpi pingere solebant sed « *qui sont des choses indécentes et profanes* », et Nicolaum Poussin laudabit, quod camellos, quorum mentionem

1. In v. 83.
2. *La Coupe du Val de Grâce*. Cf. Index librorum et infra, p. 76.
3. Quæ ipsa tabula quondam in « *Collection du duc d'Orléans au palais Royal* » erat. Cf. *Musée du Louvre, esquisse*.

tamen faciunt scripturæ, omiserit in tabula « *Eliézer et Rebecca* »(1); Dicet ipse Nicolaus Boileau :

Et ne vous chargez pas d'un détail inutile.

Omnia hæc præcepta, quæ ad inventionem pertinent maximi erant momenti Carolo Dufresnoy, ut intellegi potest ex loco quem obtinent in poemate. Sed præcipue miramur et in ejus et in libro abbatis Fréart de Chambray quod pictoris tantum ingenio inventionis virtutes ordinisque tribuit. Ait enim abbas de Chambray. « *C'est un talent naturel qui ne s'acquiert ni par l'étude ni par le travail* », et affirmat Carolus Dufresnoy artifici opus esse ut in illis virtutibus emineat hoc « jubare » (2) :

Æthereo rapuit quod ab axe Prometheus,

quia hæc artis pars « ... *nequit addisci rarissima.* »

Credere contra solemus fore ut materiæ concipiendæ vel disponendæ modus ad doctrinam pertineat, picturæ vero venustas aut affectuum suasoria vis, aut colorum convenientia, aut formæ quasi ab artificis oculo raptae innata peritia, ad ingenium. Contraria sentiebant artifices XVII° sæculo, solam inventionem fere cœli donum esse existimabant, cetera vero disciplina doceri posse et certis præceptis tradi.

III

Constat enim ex toto Caroli Dufresnoy poemate, quamvis artifici in procemio quamdam det licentiam, vel potius non adeo stricte doctrinam affirmet, ejus præcepta tamen jam nihil commune habere cum consiliis vel admonitionibus, sed jussa mox fieri, quibus artifex pareat necesse sit, quæque imperiose suadeant nonnullos pingendi modos jamjam decretos. Unde facile certiores facti sumus huic arti, jam ab initio legibus involuto formulisque, quæ omnia providerunt et in abstracto constitue-

1. Cf. Testelin. *Op. cit. Conférence sur l'expression*, p. 18.
2. V. 89-90.

runt sine ulla necessitatis cujusdam cura, vel materiæ vel temporum, vel indolis, sine ulla licentia artificis ingenio data, nec libertatem unquam fore, nec varietatem, nec ingenuitatem, nec affectuum juventutem, neque gratiam denique apud hos omnes, qui illa præcepta illamque pulchritudinis normam ignorent. Ars igitur classica, ut sæpe dictum est, ad doctissimos fuit accommodata, non ad populum.

Ita ad figurarum formam præscribet Carolus Dufresnoy artificem antiquis operibus uti non solum in specie, sed etiam in posituris (1). Statuarum enim antiquarum figuras sæpe videmus effictas in scholæ tabulis, ut in illa Caroli Dufresnoy tabula quæ Venerem et Gratias ostendit, prima figurarum speciem refert fideliter celeberrimæ antiquæ statuæ *Pudicæ Veneris* (2). Sive artifex hujus vel illius statuæ meminerit, sive præcepta secutus, figuram posuerit libratam suo centro, statuæ instar quam stare suo pondere oportet, velut aperte dicit Rogerius de Piles (3), *schœnobatæ*, cujus motus omnes ducit mobilissimæ librationis necessitas.

Quæ principia quidem in intima parte apud Leonardum reperire licet; qui animadvertit plerumque in natura fieri ut homo, ad exemplum, qui onus quoddam gerat, certis quibusdam motibus se moveat, quos comitantur, sequunturque alii motus non minus certi (4). Sed quod tantum a Leonardo observatum videbatur, a Carolo Dufresnoy habetur quasi norma necessaria et absoluta. Omnes tamen figuræ quas pictor effingit, non in funem ambulant, nec illis opus est esse :

Balancés sur leur centre en beauté d'attitude.

ut ait gallice Molière. Item si gestus ordine simili structi plerumque minus jucundi sunt quam hæc « *positura inæqualis* », quam nobis commendat poeta, nonnunquam tamen plus valebunt movebuntque, cum in figuris singulis, tum etiam in figurarum globis vel cumulis. Memoriam renovare liceat cujus-

---

1. V. 103-104.
2. Cf. Index tabularum.
3. In v. 105.
4. *Ed.* 1651, *cap.* 206, 209, 266.

libet *Matris Dolorosæ*, gothici operis, quam videmus utrinque demissis brachiis et quasi vita privatis, dolore obrutam, vel cujuslibet sanctæ Mulieris, italici operis, dolorem, brachiis ad cœlum pariter sublatis, clamantem, vel etiam hujus Horatiorum Sacramenti, quod pinxit Ludovicus David, operis tamen profecto classici, in quo tres juvenes manum simillimo gestu porrigunt.

Et semper item : necesse est figurarum membra semper ampla effingi quod si, uti visa fuissent, pingerentur, macra sæpe fierent; necesse, cum animadversum sit undantibus lineamentis multam venustatem figuris afferri, *omnes* partes undanter delineari, et quasi flammæ serpentisque ritu (1). Nostri quidem pictores eumdem adhuc delineandi modum sequuntur in his figurarum fluxuosis lineis, quæ, ut aiunt « *s'enveloppent bien* ». Ceterum opus est tantum oculos vertere in has « *figures d'Académie* » quas scalpserat Sebastianus Le Clerc « *pour apprendre à dessiner* », ut intelligamus quid vellent illi artifices. Difficilius autem est perspicere quid significare cupiat Carolus Dufresnoy, cum commendat illa « *signa longo deducta* ». Quæ verba in gallicum transfert Molière his verbis « *tirés de loin* », non planius quidem nobis.

Ea vero causa Carolus Dufresnoy omnia hæc præcepta maximum valere existimabit, quod in antiquis operibus exempla habeant, id est in his quinque vel sex marmoreis statuis, eo tempore sculptis quo jam senescebat romana ars, quæ videbantur et pulchritudinis quasi prototypi esse et fontes totius doctrinæ. Illas enim, quas delineatas in omni hujus temporis enchiridio reperire possumus, significat Carolus Dufresnoy, cum artificibus ab eo commendatur

... membrificatio graeco
Deformata modo (2).

Attamen, et id mirum est, non copiose nec accurate Carolus Dufresnoy, docet hanc notissimam « *théorie des proportions* » in qua ut exempla habebantur illustrissimæ illæ figuræ Apollonis *del Belvedere*, Antinoï, vel Herculis Farnesiani. Ejus doctrinæ

1. V. 108-109.
2. V. 112-113.

origo abusque Vitruvio ducta erat. Cui Alberti, Leonardus, et apud nostros Johannes Cousin operam dederant, ejusque mentionem fecimus, cum de Lomazzo et Hilario Pader locuti sumus. Scribit tantum Carolus Dufresnoy :

> ... *totoque Eurythmia partes*
> *Componat* (1).

Sed id Rogerio de Piles satis est ut occasionem habeat in *Adnotationibus* illius doctrinæ explicandæ, quamvis poetæ versus, nostro quidem judicio, incertior, non tanta significasse videatur.

Principia quoque secutus, quæ ex antiquarum statuarum studio deduxerat, infra de pannis disponendis præcepta exponit. Vult enim :

> *Lati amplique sinus pannorum et nobilis ordo* (2)

membra exprimant « *subter latitantia* ». Qui panni membris antiquo more adhærentes, corpus tegere debent, non celare : etiam minima legibus parent, ut sinuum dispositio et luminis; ingeniosa quidem nonnulla dicit poeta, cum jubet parvos sinus addi, ut inter se globi cohæreant, neve sint majora intervalla, quæ figuras quasi secent, sed hæc omnia reperienda relinquere liceret artificum ingenio, nec opus est legibus absolutis et certis regere quæcumque facere possint.

Quærit quoque scriptor quomodo veste differre debeant figurarum genera; sed hæc tantum incerta vestis agitur, quæ antiqua videtur, sed multum corrupta est; nusquam notat quæcumque vestimenta vel certo tempore vel a certis hominibus ferebantur.

Eadem vero dispositionis principia, et ponderis harmoniæque uni figuræ sunt atque figurarum globo, totique tabulæ. Quæ sapienter et moderate profecto traduntur, sæpe etiam fortasse nimis aperta sed magis magisque stricta fiunt et semper necessaria esse volunt, ita ut artificis libertatem gradatim minuant, nec quidquam supersit ingenio faciendum. Est necessaria harmonia globorum pariter ac figurarum, eorumque accurate quoque effingenda sunt et species, et linearum sinus atque flexus.

1. V. 114.
2. V. 190 ssq.

Fugiendi autem sunt cumuli non jucundissimi, fugiendæ molestæ contractæque posituræ :

contractaque visu
Membra sub ingrato, motusque actusque coactos (1).

Item librari cumulos decet et symmetricos esse et inæquales, et docta arte oppositos. Ita ut exemplo utar, si figura picta fuerit adversa, sit vicina obliqua, vel potius, obliquo capite, aversa, ut maxime in Caroli Dufresnoy Naïadum tabula. Sunt sexcentæ hujusmodi artes, quas omnes copiose enumerat abbas de Chambray in sua *Idée de la perfection de la peinture*, libenterque demonstrat exemplo usus Raphaelis tabulis ut *Paridis Judicio*, in quo ingeniosa varietas quæ est in trium dearum posituris, videtur illi artis quoddam miraculum fuisse. Ceterum exempla quoque sunt in Nicolai Poussin tabulis et manifestiora, quod sine dubio propter hoc ipsum eas effingere voluerat pictor et nisus erat. Quod reperire licet in Caroli Dufresnoy tabula quæ Venerem cum Gratiis effingit, ubi virgines illa ingeniosa cura disponuntur.

Figuras vero, si satis multæ sunt, pictor fere in eadem linea disponet, ut in antiquis anaglyptis, in pluribus cumulis divisas, paucis intervallis interjectis, et pariter utramque tabulæ partem occupantes, neutra neglecta; quæ autem primas partes agit, surgat :

In media tabula, sub lumine primo (2).

Ita enim disponuntur magnæ Nicolai Poussin tabulæ et *Eliezer cum Rebecca*, et *Salomonis Judicium*, et *Christi Baptisma* etc.; quæ opera Caroli Dufresnoy doctrinæ de dispositione, « *de l'Ordonnance* » mirabili modo parere videntur, nulla ceterum alia causa nisi quia doctrina ipsa sine dubio ex Nicolai Poussin principiis orta est.

Quæ doctrina mirifice quoque cum scænica arte congruit (3), etiam in verbis ipsis. Ita a Carolo Dufresnoy dicitur « *prima figurarum seu princeps dramatis* », et supra verba jam laudavimus non-

---

1. V. 167-169.
2. V. 129-132.
3. Quod optime jam animadvertit S. Rocheblave (*Loc. cit.* Vide supra, p. 2).

nulla ut « *tragicæ lege sororis* ». Copiosius etiam utraque ars comparatur in sequentibus verbis, et operæ pretium est animadvertere hunc tantum locum per omne poema a Molière explicatum fuisse, non, ut solebat, summatim repetitum. Tum sine dubio quid significare voluisset poeta, aperte intellexerat vel saltem penitus senserat, dum sæpe contra in gallicum verba potius quam sententiam diligentissime convertit, quæ aliena esse videntur.

Tabulam igitur componere si Caroli Dufresnoy poema legerimus et Nicolai Poussin opera inspexerimus, nihil aliud esse certiores fiemus quam fabulam diligenter disponere ut scænæ et classicæ quidem committatur, in qua nobilis sit ordo et doctus, hisque ea legibus pareat, quæ tunc vigebant, nostra vero ætate ab actoribus, an legitime nescio, quam maxime repulsæ sunt.

Etenim et in arte et in litteris, pariter atque in hujus temporis societate, summa virtus ordo est. Ait Rogerius de Piles cum versum explicat de ordine omni tabulæ necessario et harmonia (1) illud esse præceptum in pingendi arte summum, et Fréart de Chambray cum quintam Francisci Junii partem incipit, in qua agitur de « *la position régulière des figures* » dicit hanc esse « *la base de tout l'édifice, le lien et l'assemblage des quatre autres* » et propter illam solam virtutem, ceteris etiam carentibus, opus fore fama dignissimum : « *l'ordre est le père de la beauté* ». Item sunt qui nostra ætate dicant pictores esse qui tantum valuerint aut valeant coloris peritia quasi innata, « *par leur sens des valeurs* », nec ullam aliam illis postulari virtutem.

Qui ordo simplex esse debet; quapropter hortatur Carolus Dufresnoy, ne in tabula plures sint figuræ. Ceterum Hannibal Carraccio, ut ex ipsius ore Franciscus Albani ad Carolum Dufresnoy retulerat si cuidam principis editionis adnotationi credimus nunquam plures quam duodecim figuras admittere voluit. Ita in Caroli Dufresnoy tabula de *Socratis morte*, philosophum quinque discipuli, famulo omisso, circumstant. Ait enim Carolus Dufresnoy :

Pluribus implicitum personis drama supremo
In genere rarum est...

1. V. 78.

quæ est quoque ipsa doctrina, quantum comparare fas est, classicæ tragœdiæ, in qua tres tantum quatuorve sunt personæ, quibus famuli comitantur. Itaque ut, XVII° sæculo, plerosque obstupefecissent quæ Shakespeare dramata composuit, et illorum permultæ personæ, et scena turba referta, ita nulla magis contraria erant classicæ arti quam tabulæ quædam Petri Rubens, quas figurarum multitudo complet, vel hæc Jacobi Jordaens, dicta « *les Marchands chassés du Temple* », in qua Christus minus in se oculos convertit quam immanis multitudo bestiarum fluminis instar ruentium.

Hujuscemodi enim opera Carolus Dufresnoy in mente habuisse videtur, cum scripsit (1).

Ne male dispersis dum visus ubique Figuris
Dividitur, cunctisque operis fervente tumultu
Partibus implicitis crepitans confusio surgat,

et inter culpas esse gravissimas existimavit :

Majestate carere gravi requieque decora (2).

Nullis enim verbis Carolus Dufresnoy hanc artem dilectissimam significare posset, nisi his, quibus felicissime descripsit quantum pacis et quietis in illa inesset : « *ce silence doux* », ut optime quoque transtulit Rogerius de Piles. Quæ vero opera magis hanc « *majestatem gravem requiemque decoram* » illustrare possunt quam hæ tabulæ Nicolai Poussin : *Les Bergers d'Arcadie, Moïse sauvé des eaux, Eliézer et Rebecca?*

Attamen quamvis nunquam desit hæc majestas, præcipue ex nobili dispositione orta, nonnullæ Nicolai Poussin tabulæ positūras parum placidas spectantibus offerunt gestusque non semper quidem asperos sed paulum ultra modum auctos. Quod sine dubio efficitur ex doctrina de affectibus exprimendis, et de illa ratione qua effingeret pictor :

... motus animorum, et corde repostos
Affectus.

1. V. 133-136.
2. V. 157.

De qua doctrina non multus est Carolus Dufresnoy. Hanc enim paucis verbis aggreditur cum de omnibus rebus, quæcumque ad graphiden pertinent, locutus, deinde præcepta de omni hac picturæ parte tradit, rhetoribus autem varios animi motus docendos relinquit. Nullamque dat legem, nullum consilium nisi artificem verum esse (1) :

> *Verius affectus animi vigor exprimit ardens*
> *Solliciti nimium quam sedula cura laboris.*

Fatetur denique cœli dono opus esse ei qui in illis affectibus exprimendis florere velit.

Hac vero moderatione constat Carolum Dufresnoy non semper doctrinam XVII° sæculo communem secutum esse; nam, dum putat virtutes illas in artificis ingenio inesse, qui contra post eum artis doctrinam statuerunt, leges ipsis de affectibus dare conati sunt. Ita Testelin (2), qui summatim Academiæ doctrinam exposuit, non de illis affectibus exprimendis præcepta solum sed præceptorum tabulas etiam scripsit. Carolus Le Brun ipse figuras plurimas delineavit in optimorum artificum operibus selectas (quos inter sese quidem recepit), quibus demonstrat quomodo effingenda sint et *Fastidium* et *Mæstitia* et *Ira* et *Crudelitas*. In Testelin ipsius libro significatur qua ratione effingi etiam possit « *l'Estime* ».

Rogerius autem de Piles (ut jam de illa proportionis doctrina notavimus), quæ oblitus erat vel neglexerat poeta addidit et in *Adnotationibus* multis verbis doctrinam de affectibus ex vultus specie exprimenda exposuit. Existimat tamen non dici posse quomodo vultus partes disponendæ sint ut hunc vel illum animi affectum exprimant. Fortasse quidquid absolutum ad illam Academiæ doctrinam pertinet, et, auctore Le Brun, vigebit, non adhuc legis instar acceptum est a Rogerio de Piles et Carolo Dufresnoy eorumque amicis, nec forte a Nicolao Poussin ipso, si interrogatus esset, probatum omnino fuisset.

Rogerius enim de Piles ad exprimendos affectus hortatur, ut artifex magis utatur manibus, vel omnium corporis partium spe-

1. V. 238-239.
2. Op. cit.

cie, quam vultus lineamentis. Atqui animavertendum est in Nicolai Poussin picturis vultus, secundum antiquum modum effictos, perpaulum animi motibus turbari, manus autem perpetua mobilitate et gestu vigenti plurimum valere in affectibus significandis. Sæpe etiam figuræ vehementes agunt gestus, ut pantomimi et muti, quibus ille tantum exprimendi quod sentiunt modus superest. Nonne hunc versum apud Carolum Dufresnoy reperimus

Mutorumque silens positura imitabitur actus

quem Molière ita transtulit

Imitant en grandeur les actes des muets.

Ceterum dicere licet Nicolaum Poussin nonnunquam intemperantius etiam hac arte usum fuisse. Qua arte etiam Carolus Dufresnoy in tabula, quæ Venerem, Amores et Nymphas effingit, forsan ultra modum usus est, in qua pueri et puellæ, qui deam comitantur, gestu, apud Nicolaum Poussin solito, eam indicant vel mirantur.

Fideli autem de gestu, vero et ab artifice ipso observato tacet. Vult enim gestus, supra veritatem auctus et sæpe mente sola effictus, sententiam exprimat vel animi motum. Non vitam ipsam oculis præbere tabula videtur, sed ingenio proponere ænigma quoddam in quo, gestus et positur gratia, nititur pictor animi motus graves, implicatos et docte varios exprimere, quos in cujusque figuræ animo deposuit. Testis est, ad exemplum, notissima hæc tabula indicta « *le Jugement de Salomon* ».

Posituræ igitur, maxima cura et arte ab artifice cogitatæ, et ad statuarum antiquarum imitationem fictæ, doctus ordo et majestate pollens, gestus ad animi motus effingendos accommodati, et paulo etiam nimii, hæc omnia insignia et propria sunt in Nicolai Poussin arte, et in Caroli Dufresnoy doctrina, in partibus saltem quibus jam studuimus.

IV

Demonstravimus quoque quomodo hæc præcepta, quæ omnia antiquorum auctoritas et clarissimorum Italiæ artificum stabilitat, planius et copiosius tradi academicæ doctrinæ gratia potuerint. Quæ ipsa Academia ab iisdem principiis doctrinam suam condere inceperat.

Sed nonne reperire licet in Caroli Dufresnoy poemate quædam hujus vere classicæ doctrinæ dissimilia, et Nicolai Poussin aliena, quæ a Caroli Dufresnoy amicis, ut Rogerio de Piles, repetita et aucta et quasi explicata, possent inter academicos etiam introducere dissensiones et disceptationes, et denique classicam doctrinam, quæ medio ipso XVII° sæculo florebat, quodam modo dilatare ? Quæ præcipue in ultima poematis parte, in qua de *Chromatice*, agitur, notanda sunt.

Fatetur primum scriptor in hac parte antiqua exemplaria omnino deesse. Itaque, illis sublatis, necesse est hic, qui artis doctrinam statuat, omnia præcepta ex artis ipsius necessitate et ex proprio usu hauriat, non ex exemplis ab artificibus longinquissimis traditis. Unde fit quoque ut in hac operis parte quasi desint omnino loci communes, at contra præcepta magis ad usum ipsum pertineant.

Sed primum quanti momenti est Chromatice, si ad graphiden eam conferamus ? Quam artis partem Carolus Dufresnoy satis magnam putavisse et operibus probavisse certiores fimus cum meminimus quæ fuerint ejus propria studia, et quantum Titiano studuerit. Adde quod, cum opus didacticum scribit, primum animadvertendum est eum satis magnum locum (circiter 150 versus) illis de Chromatice sententiis et præceptis tribuisse. Dicit tamen chromaticen esse tantum venustatem quamdam graphidi additam, quam cognovisse deceat, sed multum abesse quin maxima artis ipsius pars sit. Non vult certe habeatur illa tanquam fallacia et mendacium, sed fortasse libenter putare videtur, ut nunc adhuc nonnulli pictores, picturam nihil aliud esse nisi « *du bon dessin mis en couleur* ». Secundum Bellori (1) dicere solebat Nicolaus

1. Vite de pittori *loc. cit.*

Poussin « *li colori nella pittura sono quasi lusinghe per persuadere gli occhi* ».

Dicet autem Rogerius de Piles in Adnotationibus : « *le dessin a tout à fait besoin de la chromatique pour paraître* ». Scimus enim quanto ardore pro Chromatices causa ille scripserit. Ceterum ipse Carolus Dufresnoy jam longe aliter sentit ac Fréart de Chambray et Nicolaus Poussin, qui inventionem, ordinem, affectus, partium convenientiam primas habere partes putabant; cetera, ait abbas de Chambray (1), quæ his verbis magnificis significantur ; « *franchise du coloris, franchise du pinceau, touches hardies, couleurs bien empastées, belles teintes, morbidesse des carnations, beaux morceaux* », nihil aliud sunt quam « *beautés chimériques, superficielles ou plutôt imaginaires* ».

Qui, cum præbere vult picturæ perfectæ et eminentissimæ speciem, rationes tantum haurit ex scalpturis quibusdam, quas ut sub oculis habeant legentes hortatur, si quod docet sequi velint. Ex quo intellegimus quam parvi illi coloris virtus intersit.

Apud eum, etiam cum tertiam Francisci Junii partem repetit, quæ de Chromatice est, præcipue de scientia agitur umbræ et luminis. Scimus quoque a Bellori Nicolaum Poussin diligenter de hac picturæ parte, quæ illi multum curæ erat, quæsivisse in libris P. F. Matteo Zoccolini, ex theatino ordine, et Dominicani pictoris magistri, quos legere in Cardinalis Barberini bibliotheca potuerat. Notas ipse collegerat et sibi transcribi jusserat manuscripta, quæ nonnulli ejus amicorum magni de Arte operis fragmenta esse post mortem putaverunt.

Carolus Dufresnoy quoque cum illud caput incipit, operam præcipue dat umbris et luminibus disponendis adeo ut principia quædam notissima quasi geometrico more etiam tradat. Sed plerumque non solum verba « *lumen* » vel « *umbra* » in poemate legi possunt, sed etiam et juxta illud « *colores* ». Ita operis initio, cum hortatur ut sit tabulæ dispositio quasi in artificis capite constituta, jubet (2) : *quærendas inter posituras harmoniam luminis umbræ,*

Atque futurorum jam præsentire colorum.

1. *Idée de la perfection de la peinture.*
2. V. 78-80.

Item infra consilia animadvertere est de projectione, de rerum abcessu, vel de conversione quæ non solum ex luminis quantitate vel qualitate dantur sed etiam coloris (1); quæ scilicet non plane utilia essent, in operibus unicoloris, quæ dicimus « *lavis* » vel « *camaïeu* ».

Ceterum nomina artificum quorum auctoritatem præceptorum auxilio Carolus Dufresnoy affert, aperte significant quid voluerit, quosque plurimi æstimaverit. Qui sunt (2) et *Titianus*, et *Giorgione*, et *Venetiani* pictores *Longobardique*, quibus coloris magistris quando studere potuerit supra diximus.

Sunt quoque verba in poemate versusque, quæ proprie demonstrant quantum coloris virtutes illi curæ essent, et colorum dispositio.

Vividus esto color, nimio non pallidus albo (3);

quæ ultima verba convertit Rogerius de Piles his verbis, quibus eo tempore pictores uti solebant : « *ne pas tomber dans la farine* ». Vult enim color sit lucidus, non marcidus, neque albicans, sed potius fervens et calidus. Non prohibentur etiam quæ dicuntur : « *les empâtements* ».

Adversisque locis ingestus plurimus ardens (4).

Suadet quoque (et planius Rogerius de Piles consilia facit), ut tabula uno labore picta et sine intermissione esse videatur et « *una patella* ». Atqui animadvertendum est inter Titiani opera esse feminarum corpora quædam, in quibus color tam æque inductus fuisse videtur ut credas tabulam uno die esse pictam. Nihil igitur mirum si pictoris, quem maxime diligebat, meminerit Carolus Dufresnoy, cum hoc præceptum scripsit.

Infra quoque legemus vel præcepta de campi compositione, et de ejus colore qui cum summarum figurarum convenire debet, vel lucis repercussæ principium (5).

---

1. V. 287-296.
2. *Titianus* tantum et *Veneti* in versibus nominantur, *Giorgione* autem et *Longobardi* in latinis principis editionis adnotationibus.
3. V. 382.
4. V. 383.
5. V. 336.

Corpora juncta simul, circumfusosque colores
Excipiunt, propriumque aliis radiosa reflectant.

Quin etiam, ecce hujus doctrinæ, quæ ætate nostra dicitur « *théorie des valeurs* », quasi prima adumbratio (1) :

Asperior re ipsa vigor et vis aucta colorum
Partibus adversis ; magis et fuga rupta retrorsum.

Et infra planius significat quæ sint virtutes colorum qui in fronte sunt (2),

Integra vivaci, summo cum lumine et umbra.

Et hic agitur sine dubio, quod notandum est, non solum de luminis splendore, sed etiam coloris ipsius. Illi vero colores corrupti, quibus utatur pictor suadet ad effingenda quæcumque longius distant, nihil aliud sunt nisi hi colores minus puri et integri, quos usurpare solet pictor cujus oculi perspicere possunt quomodo in rebus ipsis idem color, luminis causa, nunc sibi differat, nunc similis sit. Infra ceterum Leonardi observationes repetens, notat quid efficere possit in hac colorum corruptione : « *aer interpositum* » (3) et leges præbet hujus picturæ partis quam vocamus « *la perspective aérienne* ».

Attamen quamvis hæc omnia manifesta et utilia sint, animadvertimus Carolum Dufresnoy suæ ætatis sententiis adeo paruisse ut impulsus fuisset ad præcepta scribenda (ne dicam eum dogmata tradidisse), et quæcumque artificis ingenio et animo facienda relinquere potuisset prope jam semel dictavisset et jussisset. Item, nunquam putavisse videtur scriptor quam viam nobis commendet et diligat ipse non unam esse, sed alias etiam, quæ non minus legitimæ sint et quibus quoque pictor nos movere et delectare possit. Sed quemadmodum ab illo non jam postulavimus ut præter hanc naturam temperatam et ornatam quam laudat, illam admitteret verissimam ac fortissimam, quam effinxerunt xv° sæculo flandrici pictores, ita, cum de pingendi modo agitur, non postulabimus ut liberalius sentiat, nec mirabimur si,

1. V. 287-288.
2. V. 296.
3. V. 348 ssq.

postquam suaserit pingendi modum exquisitum et liquidum qui

Lumina lata unctas simul undique copulet umbras (1)

et diligentissime vitet

Extrema extremis contraria jungere... (2)

(quæ consilia sunt e Leonardo sumpta), accipere quoque nequiverit, ut legitimum, alterum pingendi modum, quem, ut exemplo utar, secuti sunt æquales quidam, italici vel præcipue hispani pictores, cum colorum asperum et hiulcum concursum consectantur. Hoc autem amplissimum judicium quasi rara avis fuit usque ad nostram ætatem.

Sat est notavisse Carolo Dufresnoy maximæ fuisse curæ quidquid ad colorem pertineret, dum illa picturæ pars ab amicis ipsis facile omittitur, et Nicolao Poussin, quamvis illi fortasse operam quoque dedisset, cum Titiani operibus studeret, neglecta magis magisque fuisse videtur, ubi provectior ætate fuit et toto ingenio nisus est ut in tabulis severa magnitudo tantum ubique et in ordine, et in posituris, et in affectibus luceret. Exeunte tantum sæculo et mortuo Carolo Le Brun, renascetur hæc cura, ut breviter in ultimo thesis capite monstrabimus.

Accuratissime quidem notandum est necesse esse lumina iisdem principiis disponi ac figuras. Suadet poeta ut lumen majus in mediam tabellam cadat

Latius infusum primis qua summa figuris
Res agitur (3)

Nihil aliud enim efficere velle videtur quam hoc lumen quod dicimus « *le jour d'atelier* », vel quod in scæna actorem illustrat.

Ceterum apud Carolum Dufresnoy hæc coloris pariter ac luminis umbræque dispositio nihil efficit nisi, ut cetera, ad totius operis harmoniam pertineat. Illam artifex, cum opus incipit, in sua mente statuere debet non aliter atque hanc ipsius materiæ et figurarum cumulorumque librationem et quasi typo fere unico

1. V. 402.
2. V. 361.
3. V. 314-315.

referre atque formæ, neglectis omnino materia ejusque convenientia.

Quæ ultima operis pars, ut eorum quæ diximus summam faciamus, optime quoque effigiem perficit hujus artis, ex artificis voluntate et cogitatione natæ, et fortasse nonnunquam, ut ita dicam, fabricatæ, quam in ceteris poematis partibus paulatim crescentem vidimus. Etenim et cum lumina coloremque disponit distribuitque, cumque figuras statuit et cumulos glomerat et partes accurate eligit vel minimas, contrarium omnino quærit scriptor hujus artis ingenuæ, simplicis, et quasi sponte sua natæ, etsi jam in naturæ animique studio docta sit, quæ ante illam XVI[i] sæculi *Renovationem* floruerat.

V

Denique postquam de Chromatice doctrinam Carolus Dufresnoy exposuit, in extremo poemate consilia dat, non sine quadam confusione, quæ ad mores et ad practicam pertinent. Quibus partim studuimus cum de summa doctrina locuti sumus. Sunt quæ ex Horatio ipso sumpta sunt ut illud :

Dumque fugis vitiosa cave in contraria labi
Damna mali (1).

Item Nicolaus Boileau dicet :

Souvent la peur d'un mal nous conduit dans un pire.

Scripserat enim Horatius

In vitium ducit culpæ fuga.

Præcipue notanda sunt quæ ad artificis disciplinam pertinent ; qua in disciplina plurimum, ut æquum est, valebunt antiqui.

Nec mora nec requies : noctu diuque labori
Illorum menti atque modo, vos donec agendi
Praxis ab assiduo faciles assueverit usu.

1. V. 414.

Animadvertendum quoque est quomodo clarissimos pictores qui XVI° sæculo in Italia floruerint, judicaverit; quorum opera quoque juvenibus qui artem colunt exemplo data sunt. *Raphael* primum obtinet locum; *Julius Romanus*, doctus sed frigidus artifex, multam et nobis quidem mirabilem habet laudem; sed ita tunc sentiebant. Sed Buonarotti nec omittitur neque spernitur. Fatetur enim Carolus Dufresnoy :

Quidquid erat formæ scivit Bonarota potenter (2).

Qui versus non satis laudi esse illi magno ingenio nobis quidem videtur, sed intellegemus tamen quantum ab abbatis Fréart de Chambray sententia desciverit, si legerimus in hujus scriptoris libro nihil aliud apud Buonarotti fuisse nisi « *inconvenances et extravagances* » (3). *Titianus* et *Correggius* quod laudentur, minime mirum videbitur, si meminerimus quantum ambo diligeret pictor et in poemate ipso ex propria arte sumpsisset. Qui fuerit quoque *Çorreggio* pingendi modus (4) accuratissime felicissimeque notatur. Optime quoque de *Hannibale Carraccio* dicit :

... sedulus Hannibal omnes
In propriam mentem atque modum mira arte coegit (5).

Ceterum infra monstrabimus quomodo Rogerius de Piles hæc Caroli Dufresnoy repetiverit in suis « *Sentiments* », in quibus, licet affirmet tales fuisse Caroli Dufresnoy sententias, propria tamen studia aperuisse manifestum est.

Liceat quoque notare consilia quædam de artificis disciplina, quæ digna sunt quæ in lucem majorem proferantur. Quæ primum quædam contraria suadere videntur, sed plana nobis fient si illa conferamus cum omnibus his sententiis quas supra demonstravimus. Ita suadere potest ut non prius ad vivum laboret artifex quam in mente tenuerit omnia hæc præcepta, quæ plurimum in arte valeant : « *symmetriam, internodia, formam,*

1. V. 511-513.
2. V. 521.
3. Cf. *Idée de la perfection de la peinture*, passim.
4. V. 529-530.
5. V. 535-536.

dulcesque dolos artis » (1); tum naturam ipsam conspiciat, notetque in « *cartis paratis* » quidquid observaverit :

Perque vias vultus hominum motusque notabis
Libertate sua proprios positasque figuras
Ex sese faciles (2).

Denique optima consilia reperire licet de quotidiano labore, qui artifici necessarius est, de consiliis accipiendis, de dignitate vitæ, quam quasi asceticam esse vult. Quem locum ejus modi præcepta teneant in Nicolai Boileau arte poetica, carmine quarto neminem fugit, quapropter insignem hanc similitudinem leviter attigisse nobis, cum benigna lectoris venia, abunde erit.

Non epulis nimis indulget Pictura meroque
Parcit (3),

ait Carolus Dufresnoy : pictor enim summus et excellentissimus,

Secessus procul a turba strepituque remotus
Villarum curisque beata silentia quærit (4),

etiamque vult nunquam uxorem ducat, et « *in cælibe libera vita* » Pictura floreat (5).

Præter illud, optimam existimat fuisse vitam qualem novimus Nicolaum Poussin egisse cum domum a strepitu remotam in Monte Pincio habitaret, in qua et curæ absint terrestrisque ambitio, et pax contra, ad diutissime cogitandum idonea, domum teneat. Item adhortationes sunt de abstinentia et animi magnitudine quæ non solum de Nicolai Boileau consiliis nos admoneant, sed etiam de his verbis altissimis quæ sunt in epistulis magni hujus artificis qui *Sacramenta* pinxit : ait enim Carolus Dufresnoy :

Infami tibi non potior sit avara peculi
Cura, aurique fames, modica quam sorte beato

1. V. 429-430.
2. V. 469-471.
3. V. 475.
4. V. 479-480.
5. V. 478.

Nominis æterni et laudis pruritus habendæ
Condignæ pulchrorum operum mercedis in ævum (1).

Non alia mente dicebat Nicolaus Poussin in Epistula ad dominum de Noyers, quam notavit Felibianus : « *qu'il s'était acquis par la grâce de Dieu des biens qui ne sont pas des biens de fortune qu'on lui puisse ôter, mais avec lesquels il puisse aller partout.* » (2) Ita fortiter artis dignitati et excellentiæ fidens, atque gloriæ sibi paratæ, Nicolaus Poussin ad amicum dominum de Chantelou scribebat : « *je ferai tous mes efforts pour satisfaire à l'art, à vous et à moi* » (3).

Nitebatur quoque, ut in alia dicit, spernere « *les coups de la méchanceté, de l'envie et de la rage* », quamvis hæc patienter sustineret, si necesse evenerant, quia ut superbe et quasi stoico more addit : « *Il est vrai que mon bonheur ne dépend nullement de cela, il est mieux fondé.* » (4)

1. V. 484-488.
2. Cf. Ed. Quatremère de Quincy, p. 89.
3. 7 avril 1647.
4. 26 novembre 1644.

CAPUT QUARTUM.

I. — Quæ fortuna fuerit Caroli Dufresnoy poematis. — Scribitur *Caroli Perrault* de Pictura poema (1668). — Respondetur a *Molière* in poemate « *Sur la gloire du Val de Grâce* ». In quo laudatur præcipue Petrus Mignard. — Caroli Dufresnoy sententiæ repetitæ. — Quomodo Molière illis utatur. — Cui aliud poema a *M*lle *Chéron* scriptum respondet.

II. — Caroli Dufresnoy doctrinam ampliorem facit *Rogerius de Piles*. — Ejus translatio. — Ejus Adnotationes. — Ejus Sententiæ de pictoribus. — Quæ vita, quæ studia. — De partibus « *des coloristes* ». — Nicolaum Poussin insectantur. — Petrum Rubens ad cælum attollunt. — Quæ origo sit contentionis « *des poussinistes et des rubénistes* ».

III. — Caroli Dufresnoy durat opus, quia ampliores sunt ejus sententiæ. — Translationes et Commentarii.

I

Eodem anno ac Caroli Dufresnoy poema in lucem allatum est, editum quoque alterum *de Pictura* poema, quod si prius fuerit incertum est : dico *Caroli Perrault*. Atqui cum in duas partes, ut supra diximus, tunc dividerentur artifices, fieri potest ut Caroli Perrault poema quod Carolo Le Brun dedicaverat, quasi responsio fuerit illi Caroli Dufresnoy poemati a Petro Mignard edito, in quo, ut supra diximus, erant antiquæ artis et italicæ doctrinæ laudes. Antiquos quidem venerabantur Caroli Le Brun partes, sed affirmare volebant (et qua causa intellegimus), quanta magnitudo et gloria recentiori et præcipue gallicæ arti inesset. Quarum par-

tium præco fuit Carolus Perrault qui gallicum poema composuit, quod, versibus expeditis, jucundis atque facile currentibus scriptum, potius ut quorumdam artificum partes defenderet quam ut doctrinæ cujusdam rationem exponeret, scripsit, dum Carolus Dufresnoy suum *de Arte graphica* carmen diutissime meditatur, et in eo includit plurima, verbis quidem nonnunquam aspera, sed sententiis ingeniosa et alta.

In suo autem poemate Carolus Perrault etiam in memoriam revocare conatus est quam male paulo ante res evenisset italicis artificibus et quam optime suo fratri Claudio Perrault. Qua victoria usus est ut omni laude cumularet Carolum Le Brun, cui maxima in his partibus auctoritas erat, ut omnia opera ejus enumeraret, et quomodo manufacturas curaret, quomodo regis gloriam illustraret, ut denique eodem poemate celebraret magnum pictorem magnumque regem. Sed non eo tempore videtur voluisse bellum adversariis denuntiare ut facient utrinque artifices, cum acerbior fiet de Antiquioribus Recentioribusque contentio, cumque in *Oda ad Carolum Le Brun* (1683) Paulus Mignard, qui alteras partes atque avunculus, ejusque adversarios secutus erat dicet :

Comment pourriez-vous défendre
Votre Apelle d'Alexandre
Contre celui de Louis?

vel etiam, antiquos ipsos allocutus :

Mais étant ce que vous fûtes
Il sçait tout ce que vous sçûtes,
Vous sçûtes moins qu'il ne sait.

Sed jam eædem fere sunt Caroli Perrault in poemate sententiæ, quamvis lateant, et maxime contrariæ iis Caroli Dufresnoy et abbatis Fréart de Chambray.

Petri autem Mignard et pariter antiquorum romanorumque antistites nihil omiserunt quin Caroli Perrault poemati responsum fuerit. Contrariam doctrinam affirmare oportebat et potentibus, Colbert præcipue, cui ministro maxima erat auctoritas, res Petri J.-B. Mignard commendare. Anno 1669, alterum poema, gallice

1. Charles Perrault. — *La Peinture.* Poème. Paris 1668 in-folio.

scriptum, editum est, priori simillimum et charta et adspectu et delineationibus etiam quas idem Chauveau scalpserat, effinxerat autem non Carolus Le Brun, sed Petrus Mignard, sicut Molière non Perrault versus fecerat. Quod inscribebatur poema « *Sur la gloire du Val de Grâce.* »

Petrus Mignard enim Molière Avennione cognoverat, cum Roma redierat. Sunt qui dixerunt (1) Molière hoc poëma Petri Mignard laudi composuisse, quod ejus filiam amaret, quæ postea fuit illa pulcherrima « comtesse de Feuquières ». Quod non fieri potest omnino quia illa cum anno 1657 nata esset, undecimum tunc annum modo implebat. Amicitia sola igitur inductus Molière hanc orationem scripsit « *pro amico suo* ». Atqui, præter laudes et Romæ invocationes

Docte et fameuse école en raretés féconde…
Source des beaux débris des siècles mémorables,

quibus Caroli Perrault laudibus et obtrectationibus respondet sententias quoque de picturæ arte explicat in quibus præcipue Caroli Dufresnoy poema gallicis versibus summatim imitatur.

Quod jam notaverunt Ph. de Chennevières et S. Rocheblave, ut jam omnia quæ in utroque poemate comparari possunt citata sunt ab iis qui opera Molière ediderunt, et notitiam cum illo poemate dederunt excellentem et amplissimam quam legisse satis est ut hanc comparationem non amplius persequamur (2).

Non igitur diutius in eo nobis permanere necesse est. Notandum tamen est et diligentissime hanc Caroli Dufresnoy doctrinam, cui supra studuimus adoptatam fuisse et sine ulla exceptione a clarissimo ingenio, Molière, qui, quamvis tunc illius præcepta ad solam picturam accommodaret, non abstinere potuit quin fortasse eorum vim paululum dilataret, ut summæ æstheticæ quæ tunc vigebat, quasi imago fierent. Ita quidem ad interpretandos illius versus, impellimur. Sed, nostra quidem sententia, non longius fortasse progredi in hanc viam oportet,

---

1. Cf. Bibliophile Jacob. *La Coupe du Val de Grâce* (Nouvelle collection Moliéresque) in præfatione.

2. Cf. Despois et Ménars. — *Œuvres de Molière.* — Collection des grands écrivains. — Paris. Hachette.

potius autem existimare Molière in hac poematis parte, in qua sunt præcepta de summa picturæ arte, Caroli Dufresnoy poema accuratissime imitatum esse. Quæcumque enim similia videbantur perscrutati sumus, nec vidimus ullam in gallici poematis versibus sententiam esse, quæ ab iis Caroli Dufresnoy absit.

Suam enim Molière facit triplicem Caroli Dufresnoy divisionem, quæ est : « *inventio, graphis et chromatice* », et apertius etiam, quia summatim partes exponit; nonnunquam quædam trajicit, ut magis compositæ sint partes, et oratio magis æque fluat ; sed unde quascumque sententias, unde fere quæcumque verba hauserit, reperire haud difficile est. Sæpe etiam manifesto videtur et magis usus fuisse Rogerii de Piles conversione quam poemate ipso, quia sunt in carmine verba, e Rogerii de Piles expressa, quæ non necessaria erant omnino ad latina verba convertenda, et potius sententiam longius circumducebant quam transferebant.

Hunc tantum locum amplificat in quo de positurarum nobilitate agitur et varietate, quam necessariam existimat. Sæpissime autem sententiam breviter repetit, feliciter quidem nonnunquam. Sunt enim in ejus poemate plures versus nervosi et pressi, qui, certis verbis, quid classicæ doctrinæ insit optime dicant. Sæpe autem quæ nonnunquam illi objecta sunt, verba scilicet insolita et sententiæ perobscuræ, verissime quidem interdiu in hoc poemate incusantur. Haud facile enim, si deesset quod imitatus est poema intelligeres quid ejus præcepta significarent. Ceterum omitto quæcumque verba versus complendi necessitas imposuerit, non explicandæ sententiæ.

Molière igitur, ut breviter dicam, non admodum idoneus erat ad præcepta de artis doctrina tradenda. Adde quod citissime laborabat et operis materiam unde reperire posset accipiebat. Ejus amicus Petrus Mignard eum admonuit, ut in Caroli Dufresnoy poemate, quæ ipse et amici sentirent, felicissime exposita, inveniret. Cui legendo et transferendo operam dedit Molière nec multa addidit, seu quod impedimento ei erant hæ sententiæ reconditæ, sive propter illam diligentiam qua nitebatur ad quam proxime exemplar sequendum. Animadvertendum enim est multo meliores esse et faciliores alterius partis versus, in qua Caroli Dufresnoy auxilium relinquit, cum de hoc pingendi

modo qui dicitur « *la fresque* », ut exemplo utar, loquitur; notandum est hos qui totum poema terminant, et de dignitate artificis sunt, de indolis libertate, cujus gratia nunquam esse possit ille « *un bon courtisan* (1) », nec vulgari instinctu afflari, nec quadam majestate carere. Tum idem profecto sentit ac Carolus Dufresnoy, sed non præcepta quasi verbum e verbo exprimit.

Cui poemati adversæ partes responderunt. Scripserunt, ut illis temporibus dicere solebant, « *une critique* », poema scilicet « *de la coupe du Val-de-Grâce* » quod fortasse manuscriptum in manibus jam anno 1669 fuit, sed typis mandatum est tantum anno 1700, cum aliis anonymis operibus; editum quoque fuit nostris temporibus a bibliophilo Jacob (2). Ceterum quæ Petri Mignard vitia incusare vult hoc poema, mediocria quidem, nec magni momenti sunt, nec argumentis valent. Scriptum est, ut creditur, a « *Mademoiselle Chéron* », Caroli Le Brun discipula. Ex quo tantum hos versus citabimus, quibus nec sal deest in verbis, nec veritas etiam in sententia, quibusque patefit quo consilio suum Molière composuisset poema.

Ce poème monstre aujourd'huy
Qu'il n'est rien qu'un placet pour luy,
Où tous ces grands mots de peinture
Tons, masses, valeurs, empastures
Que la rime enchasse si bien
Sont tous mots qui ne disent rien
Pour la coupe du Val-de-Grâce

II

Quod si haud multa Caroli Dufresnoy poemati Molière addit sed tantum probat quanta fama, quantaque laus ei apud quosdam esset, multo majoris nostra interest quid in Rogerii de Piles

---

1. *Les grands hommes, Colbert, sont mauvais courtisans,*
Et les emplois de feu demandent tout un homme.
(Molière, *La gloire du Val-de-Grâce,* in fine.)

2. *Nouvelle collection Moliéresque,* Paris, Jouaust, 1880.

translatione et Adnotationibus reperiamus. Sed quamvis amici consilium secutus esset, jam in translatione multa de suo addiderat, nunc versum augens ut sententias quasque obscuras illustraret, nunc nova afferens præcepta, quæ præcipue ad usum pertinent. Ita in versu 386, hoc consilium vitandi quantum possumus « *de peindre à sec* ». Sed in Adnotationibus, præter quæ necesse credidit se addere ut fieret liber quasi perfectum enchiridion, de proportionibus ad exemplum vel de affectibus exprimendis, aperte videmus quid ipse et vellet et sentiret.

Natus erat Rogerius de Piles Novioduni anno 1636. Triginta circiter annos natus erat, cum Carolum Dufresnoy cognoscere potuit, et, quod notandum est, nondum eo tempore in Italia fuerat. Laboravit anno circiter 1660 Lutetiis cum *fratre Luc* « *récollet* », qui, Ambianus, Simone Vouet magistro studuerat, et tabulas ecclesiis pingebat. Noverat quoque pictorem flandricum nomine *Arnould de Vuez*, qui ejus tres annos condiscipulus, amicus sine dubio fuit, cujus gratia flandricos pictores et præcipue Petrum Paulum Rubens intellegere et amare potuit. Deinde judiciis ipsis Caroli Dufresnoy, qui chromatices amicus pariter erat, confirmatus est Rogerius de Piles in artis doctrina quam servavit per totam vitam atque studiosissime defendit.

Artifex igitur est, vel potius criticus, etsi nonnullas effigies eum pinxisse accepimus (1), qui classicam doctrinam et præcipue Nicolai Poussin non semper meram sequatur. Jam in *Adnotationibus* de Caroli Dufresnoy poemate talia inserit (2) : « *les peintres ne sont pas obligés de suivre l'antique aussi exactement que les sculpteurs, parce que leurs figures sentiraient trop la statue.* » Postea (3) liberius etiam dicet de Nicolao Poussin ipso : « *que le nud de ses figures tient beaucoup de la pierre peinte* », et illum fuisse antiquorum nimium amatorem et chromaticen nimis neglexisse, etc. De pannis etiam hortatur (4) ut exemplo naturæ non antiquorum effingantur. Nonne ceterum nos monet ut illos, qui nimis serviliter naturam sequantur, anteponat iis, qui tantum

1. Inter quas illam forsan Caroli Dufresnoy tabulam quam in Indice notabimus. Cf. infra.

2. In versum 40.

3. *Abrégé de la vie des peintres.* — Nicolas Poussin.

4. In versum 200.

practicam (adversus quos ambo pugnaverat Carolus Dufresnoy), etsi priores non naturam imitentur « *accompagnée de toutes ses beautés et de toutes ses grâces* (1) ».

Sed suam sententiam omnino aperit in hac cura, quæ illi est nullius non rei ad chromaticen pertinentis, et in hac auctoritate quam perpetue non solum Titiano et Veronensi dat, quorum quædam feliciter et temere inventa notat (2), sed etiam Petro Paulo Rubens et Antonio Van Dyck, apud quos ut maximam laudem invenit « *l'intelligence des groupes, du clair-obscur et des masses* » quam commendat Carolus Dufresnoy. Hoc satis est novum apud Gallum virum anno 1668, nec videmus etiam Carolum Dufresnoy in poemate his pictoribus, ut exemplis, unquam usum fuisse.

Notavimus quoque Carolum Dufresnoy sex tantum in poemate magistrorum nomina dedisse quos juvenes artifices imitari deberent. Quem indicem Rogerius de Piles in « *Sententiis* » quæ *Adnotationes* sequuntur multum auget. Multa in iis vel observationibus vel judiciis notamus nunc minima, nunc quoque maxima, quæ ejus propria sunt, non Caroli Dufresnoy. Ita cum legimus hujusmodi verba : « *J'ai vu* », vel : « *J'ai remarqué* », facile credimus, ut in Adnotationibus, sententiam suam exposuisse commentatorem, non poetæ.

Raphael quidem primum adhuc obtinet locum, sed propter inventionem præcipue laudatur, fateturque scriptor eum et *Michel Angelo Buonarotti* graphidi cessisse et *Correggio* vel *Titiano* chromatice. *Julio* autem *Romano* jam locum quo dignus est fere tantum habet, et, quamvis laudetur de positurarum et ordinis majestate, incusatur tamen de « *sa manière dure et sèche* ». Totius etiam scholæ sine dubio culpam notat Rogerius de Piles, cum propter hunc artificem scribit : « *Les plis de ses draperies ne sont ni beaux, ni grands, ni faciles, ni naturels, mais très imaginaires et qui donnent un peu dans les habitudes des méchants comédiens.* »

Contra qui chromaticen præcipue coluerunt, ut Correggius et Titianus, amplissime, quid mirum, laudantur.

Quin etiam pictores septentrionales locum habent. De Piles

1. In versum 177.
2. In versum 361.

enim, qui, ut alii, non ferre potest « *le goût gothique* », acriter incusat *Albertum Durer* et *Johannem Holbein*, quod hoc studium acceperint ; sed fatetur : « *ils auraient été de la première classe, s'ils eussent vu l'Italie* ». Addit etiam, quod mirabile est, « *Pour Olbins, il a porté l'exécution plus avant que Raphael, et j'ai vu un portrait de lui qui en mettrait à bas un autre du Titien*(1) ». Denique *Petro Rubens* locum dat eminentissimum. Cui crimini quidem vertit Rogerius de Piles quod flandricam vitam et naturam nimis dilexerit, nec diu Romæ permanserit, sed notandum est quid sit ultimum in Adnotationibus critici judicium, præcipue cum sit jam anno 1668 pronuntiatum. Hæc prima laus est omnium quas dabit illi pictori quem semper Nicolao Poussin opponet et super etiam præmio dignum esse existimabit : « *Sa manière est si ferme, si savante et si prompte qu'il semble que ce rare génie ait été envoyé du ciel pour apprendre aux hommes l'art de peindre* ».

Van Dyck ipse juxta magistrum locum obtinet ; quem, etsi fatetur Rogerius de Piles habuisse : « *un aussi méchant goût que le sien dans la partie du dessin* », tamen affirmat « *qu'il l'a passé dans la délicatesse des carnations et dans les tableaux de cabinet* ».

Quid autem de hoc judicio sensisset Rolandus Fréart de Chambray, qui inanes esse diceret omnes has coloris venustates ? Quid, si vidisset amicum Nicolaum Poussin, paulo ante mortuum, ab illo indice clarissimorum pictorum rejectum fuisse, cum ipse immortalitatem jamjam tribuerat illi, cum viveret, et inter quos imitari deberent pictores posuerat, inter picturæ deos.

Rogerius de Piles enim, Nicolaum Poussin minime diligebat. Primum eum non noverat, quamvis contrarium loci quidam ex ejus libris excerpti monstrare videantur. Scimus enim eum in

---

1. Juxta Johannis Holbein nomen, qui *Olbin* vel *Olbins* hic appellatur, alterum legimus pictoris nomen quod *Hisbin* scribitur. Quem pictorem ita designare voluerit criticus haud plane intellegi potest. Nam nusquam inter septentrionales artifices hunc pictorem reperimus. Ex conjectura tamen quadam nobis ab eruditissimo et humanissimo Ludovico Dimier proposita, credimus hoc nomen sic fabricatum fuisse a XVII[i] et XVIII[i] sæculi scriptoribus ex cujusdam scalptoris monogrammate quod falsc interpretabantur et reipsa *Hans Sebald Beham*, vel *Jacob Binck* designavisse.

Italia tantum fuisse anno 1673, Nicolao Poussin jam abhinc octo annis mortuo. Felibianus contra, qui magistrum cognoverat, et ejus disciplinam etiam in pingendo aliquot tempus secutus erat, magnum pictorem romanum laudabit una cum fratribus de Chantelou ; sed Rogerius de Piles, quod facile probari liceat, si animadvertamus quomodo paulatim gradatimque in quoque opere, quotiescumque novum opus in lucem afferret, sententiam mutaret, etiam atque etiam flandricos pictores laudavit et Rubens supra ceteros, et primum etiam ei dedit locum, in illo notissimo indice, quo inter se pictores conferebantur.

III

Ita jam videmus quæ fuerit origo hujus contentionis quæ dicitur « *des poussinistes et des rubénistes* », quæ Academiam ipsam divisit, mortuo Carolo Le Brun, et in qua partes alteras Carolus Dufresnoy, auctoritate saltem sua, sustinere debuit, et, mirum quidem, illas quæ classicos impugnabant et Nicolaum Poussin, quocum tam multis modis tamen jungebatur. Sed quia ingenium ejus et judicium ampliora erant, et intellexerat quam necessaria esset chromatice, quodque ad illam pertinebat maxime dilexerat, inter eos qui dici possunt « coloristes » ducebatur.

Haud male fortasse etiam dicere licet Rogerii de Piles studia partim ab illo excitata fuisse et, in posterius, aliorum pictorum, ut *Lafosse* et *Coypel,* qui in operibus quæ apud flandricos pictores admirabantur imitati sunt. Est igitur exeunte XVII° sæculo in judiciis et in operibus quasi conversio cui studere haud inutile sit.

Quod fecit Ph. de Chennevières qui aperte demonstravit quæ essent contraria judicia et inter se pugnantia in hac contentione quam judicat Antonius Coypel anno 1721 in præfatione suæ *de Pictura* epistolæ (1). Sed ne longius progrediamur a Carolo Dufresnoy ejusque sententiis. Sufficiet indicasse quid efficere

1. Cf. *Peintres provinciaux*. T. III, p. 73-289.

potuerit, cum incepit hic doctrinarum, quæ de Arte XVII° sæculo vigebant, progressus.

Hac ipsa judicii amplitudine per tam multos annos viguit poetæ opus, et quia apud eum reperiebantur et gravissima præcepta de inventione et graphide, et vera amplaque judicia cum consiliis ad usum aptis de hac picturæ parte quæ tunc magis in honore erat, scilicet *chromatice*.

Quod poema cum Rogerii de Piles translatione ter editum est annis 1668, 1673, 1684. Aliæ editiones et novæ translationes factæ sunt in XVIII° sæculo et gallice scriptæ et anglice vel italice; imitationes etiam omittemus.

Quomodo Caroli Dufresnoy poema per annos mutatum sit Ph. de Chennevières quoque persecutus est cum de Hilario Pader, ut supra diximus, locutus est. Quæ igitur non nobis repetenda sunt; tantum summatim trademus in librorum indice, quos notavit Ph. de Chennevières, quosque etiam nos passim invenire potuimus. Ipse index quam planissime significabit quanta poematis fama fuerit. Ceterum optime dicit scriptor ille, cum loquitur de commentariis quæ Reynolds, exeunte XVIII° sæculo, poemati addidit, quid sensisset Reynolds in suis commentariis patefieri non quid Carolus Dufresnoy, qui causam tantum præbet ut suam explicet sententiam adnotator. De ceteris qui poema vel transtulerunt, vel adnotaverunt, identidem.

CONCLUSIO

In hoc libro nos hujus fortunæ quam consecuturum erat Caroli Dufresnoy poema multis annis post scriptoris mortem, causas potius quam eventus exponere conati sumus.

Opus enim ipsum aggredi et penitus judicare voluimus, et quomodo cum illius ætatis sententiis congrueret diligentius perspicere quam ad hoc tempus tentatum erat, sive a prioribus com-

mentatoribus, qui omnino hoc propositum neglexerant, sive a recentioribus criticis qui curam summatim ei dederant.

Qui fuerit scriptor, quomodo vixerit inquirere conati sumus, eumque præcipue notavimus diutissime in familiaritate versatum esse illorum Gallorum quos, ut *Nicolaum Poussin*, romanarum rerum majestas attraxerat et retinuerat, mox Lutetiæ in illorum artificum societate qui, instar *Petri Mignard*, Caroli Dufresnoy amicissimi, Caroli Le Brun auctoritatem rejicere aliquandiu tentaverunt.

Etsi apud *Simonem Vouet* educatus fuerat, eum vidimus splendidam et facilem magistri artem repudiasse ut severiorem et puriorem quam conceperat effinxeratque *Nicolaus Poussin* sectaretur. Forsan in intimo corde sentiebat Carolus Dufresnoy Carolum Le Brun, quamvis « classicam » profiteretur et in Academia doceret doctrinam, nihil fere aliud in suis operibus assecutum quam Simonis Vouet modum et rationem continuare.

In poemate reperimus præcipue quæ de arte sentiret ipse Dufresnoy : haud multum tamen difficile fuit perspicere quantopere apud eum valuerint amicorum judicia vel admonitiones, quantum etiam hic et illic debuerit sive tabulis, sive libris qui maxime apud ejus æquales in honore essent (*L. da Vinci*, *Lomazzo*, *Franciscus Junius*).

Inter omnia accuratissime animadvertimus intra quos annos compositum fuerit aut sane inceptum (1640-1645) hoc opus, in suo genere novum, quod nobis aperit primum sententias ordine et ratione expositas e quibus constitit posthac *classicorum* XVII[i] sæculi vel artificum vel poetarum doctrina : hanc dico doctrinam quam mox accipiet et in lucem proferet Academia, cujusque (quod ad artem pertinet) originem indagare est in judiciis quæ quinque vel sex pictores, a patria necnon a parisiensibus scholis et officinis absentes, ex antiquorum et XVI[i] sæculi magistrorum disciplina soli secum excogitaverant.

Notavimus quæ vel præcepta vel consuetudines quasi vi extrudere debuisset ut sese instauraret illa doctrina, quæ semper auxilia et exemplaria in omnibus rebus habuisset et studentibus imposuisset (i. e. *naturam pulchram*, *antiquosque*).

Quæ doctrina jam tota fere in Caroli Dufresnoy poemate continetur, sed minus stricte et dogmatico more expressa quam ulte

rius in academicorum scriptis vel sermonibus, humanior scilicet et tolerabilior. Illa vero maxime floruit circa annum 1668, imprimis cum mortuus est Dufresnoy et in lucem proditum fuit ejus opus, cumque statim a *Molière* retractata in publicum magis magisque produci potuit.

Sed, apud Carolum Dufresnoy, nonnulla (præter illas « signatas præsente nota » sententias) magis propria reperimus, et sine dubio intellectui et indoli vel magistrorum vel amicorum ignota, quæ præcipue ad *chromaticen* pertinent. Operæ enim pretium fuit notare hunc Simonis Vouet discipulum, Nicolai Poussin æqualem et fortasse amicum, propriis judiciis et præceptis viam struxisse illis exeuntis XVII[i] sæculi artificibus, qui auctoritate criticorum freti, ut *Rogerius de Piles* juxta Carolum Dufresnoy educatus, Petri Pauli Rubens artem non solum non rejecturi erant, sed ad cœlum sublaturi, quorumque recentissimi, anno jam 1717, in Caroli Le Brun Academiam hunc fere flandricum et coloris amantissimum cooptabunt, scilicet ipsum Petri Rubens « nepotem », Antonium Watteau.

CAROLI ALFONSI DU FRESNOY

PICTORIS

DE ARTE GRAPHICA

LIBER

Sive diathesis, graphidos et chromatices,
Trium picturae partium
Antiquorum ideae artificum, nova restitutio.

LUTETIAE PARISIORUM

Apud Claudium Barbin, in Palatio
Super secundo podio Sanctae Capellae

MDCLXVIII

Cum privilegio regis.

Hujus texti exemplar ab editione principe duximus cujus in latina tantum lingua auctor fuit Petrus Mignard, hujus editionis adnotationibus studiose servatis. Non tamen omisimus varias quasdam lectiones quibus Rogerius de Piles, elegantiæ plerumque causa, hinc inde poetæ textum emendavit.

Ut Pictura Poesis erit; similisque Poesi
Sit Pictura, refert par æmula quæque sororem.
Alternantque vices et nomina; muta Poesis
Dicitur hæc, Pictura loquens solet illa vocari.
Quod fuit auditu gratum cecinere Poetæ,
Quod pulchrum aspectu Pictores pingere oportet;
Quæque Poetarum numeris indigna fuere,
Non eadem Pictorum operam studiumque merentur:
Ambæ quippe sacros ad Religionis honores (1)
Sydereos superant ignes, aulamque tonantis
Ingressæ Divum aspectu, alloquioque fruuntur
Oraque magna Deum et dicta observata reportant, (2)

---

6. *oportet*: curant (R. d. P.).

---

1. Illa Odis et Canticis; altera tabulis, statuis aliisque ornamentis.
2. Æstus cœlestis in Poëtis et Pictoribus tantummodo.

Cœlestemque suorum operum mortalibus ignem.
Inde per hunc orbem studiis coeuntibus errant,
Carpentes quæ digna sui, revolutaque lustrant
Tempora, quærendis consortibus argumentis.
Denique quæcumque in cœlo, terraque marique,
Longius in tempus durare, ut pulchra merentur,
Nobilitate sua claroque insignia casu.
Dives et ampla manet Pictores atque Poetas
Materies, inde alta sonant per sæcula mundo (1)
Nomina, magnanimis Heroibus inde superstes
Gloria, perpetuoque operum miracula restant
Tantus inest divis honor artibus, atque potestas.
Non mihi Pieridum chorus hic, nec Apollo vocandus (2)
Majus ut eloquium numeris, aut gratia fandi
Dogmaticis illustret opus rationibus horrens:
Cum nitida tantum et facili digesta loquela,
Ornari præcepta negent, contenta doceri.
Nec mea mens fuit hoc vincire Poemate nodos,
Artificum manibus, quos tantum dirigit usus,
Indolis ut vigor inde potens obstrictus hebescat
Normarum ampla congerie, geniumque moretur:
Sed rerum ut pollens ars cognitione gradatim
Naturæ sese insinuet, verique capacem
Transeat in Genium, Geniusque usu induat Artem.
Præcipua imprimis artisque potissima pars est
Nosse quid in rebus natura crearit ad Artem,
Pulchrius, idque modum juxta, mentemque vetustam, (3)
Qua sine barbaries cæca et temeraria Pulchrum
Negligit, insultans ignotæ audacior Arti,
Ut curare nequit, quæ non modo noverit esse,
Illud apud veteres fuit unde notabile dictum:
(Nil Pictore malo securius atque Poeta).
Cognita amas et amata cupis, sequerisque cupita.
Passibus assequeris tandem quæ fervidus urges.
Illa tamen quæ pulchra decent non omnia casus

30. Nec mihi mens animusve fuit constringere nodos (R. d. P.).
33. *Ampla congerie*: numero immani. (R. d. P.).

1. Ut Græcis et Romanis in Homero, Virgilio etc. Ut etiam in Phidia Praxitele, Policleto, etc.
2. Hic ego Pictor non Poeta.
3. Graecorum et Romanorum.

Qualiacumque dabunt, etiamve simillima veris:
Nâm quamcumque modo servili haud sufficit ipsam
Naturam exprimere ad vivum, sed ut arbiter Artis,
Seliget ex illa tantum pulcherrima Pictor,
Quodque minus pulchrum, aut mendosum corriget ipse,
Marte suo, formæ veneres captando fugaces.
Utque manus grandi nil nomine practica dignum
Assequitur, purum arcanæ quam deficit artis
Lumen, et in præceps abitura ut cæca vagatur;
Sic nihil Ars opera manuum privata supremum
Exequitur, sed languet iners uti vincta lacertos;
Dispositumque typum non lingua pinxit Apelles.
Ergo licet tota normam haud possimus in Arte
Ponere (cum nequeant quæ sunt pulcherrima dici), (1)
Nitimur hæc paucis scrutati summa magistræ
Dogmata naturæ, Artisque Exemplaria primæ
Altius intuiti; sic mens habilisque facultas
Indolis excolitur, Geniumque scientia complet,
Luxuriansque in monstra furor compescitur Arte.
Est modus in rebus, sunt certi denique fines (2)
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

His positis erit optandum thema nobile, pulchrum,
Quodque Venustatum circa formam atque colorem
Sponte capax amplam emeritæ mox præbeat Arti
Materiam, retegens aliquid salis et documenti.
Tandem opus aggredior, primoque occurrit in albo
Disponenda typi concepta potente Minerva
Machina, quæ nostris *Inventio* dicitur oris.
Illa quidem prius ingenuis instructa sororum (3)
Artibus Aonidum, et Phœbi sublimior aestu.
Quærendasque inter Posituras, luminis, umbræ,
Atque futurorum jam præsentire colorum
Par erit harmoniam, captando ab utrisque venustum,
Sit thematis genuina ac viva expressio juxta
Textum Antiquorum, propriis cum tempore formis.
Nec quod inane, nihil facit ad rem, sive videtur

1. Ut Guido Rhenus aiebat, de pulcherrimis præcepta dari non possunt, cum idiomata notionibus tam reconditis non suppeditent.

2. Horatius.

3. Litteris humanioribus imbuti Pictores esse debent.

Improprium, minimeque urgens, potiora tenebit
Ornamenta operis ; tragicæ sed lege sororis
Summa ubi res agitur, vis summa requiritur artis
Ista labore gravi, studio, monitisque magistri
Ardua pars nequit addisci rarissima ; namque [1]
Ni prius æthereo rapuit quod ab axe Prometheus
Sit jubar infusum menti cum flamine vitæ,
Haud queiscumque viris divina hæc munera dantur
Non uti Dædaleam licet omnibus ire Corinthum.
Ægupto informis Pictura olim ante reperta
Græcorum studiis et mentis acumine crevit,
Egregiis tandem illustrata et adulta magistris [2]
Naturam visa est miro superare labore.
Quos inter Graphidos gymnasia prima fuere,
Portus Athenarum, Sycion, Rhodos, atque Corinthus,
Disparia inter se modica ratione laboris ;
Ut patet ex veterum statuis, formæ atque decòris
Archetypis, queis posterior nil protulit ætas
Condignum, et non inferius longe arte, modoque.

Horum igitur vera ad normam *Positura* legetur,
Grandia, inæqualis, formosaque partibus amplis
Anteriora dabit membra in contraria motu
Diverso variata suo librataque centro.
Membrorumque sinus ignis flammantis ad instar
Serpenti undantes flexu, sed lævia plana
Magnaque signa quasi sine tubere subdita tactu
Ex longo deducta fluant non secta minutim,
Insertisque toris sint nota ligamina juxta
Compagem anathomes et membrificatio Græco
Deformata modo, paucisque expressa lacertis
Qualis apud Veteres ; totoque Eurithmia partes
Componat, genitumque suo generante sequenti

91. *Queis cumque viris* : mortali haud cuivis (R. d. P.).
93. *Pictura olim ante* : quondam pictura (R. de P.)
99. *Modica* : modicum (R. d. P.).
104. *Grandia* : grandis (?)

1. Inventio cum genio nascitur, non studio et labore comparatur.
2. Tempore Alexandri magni. Apparuit mirabilis sub Domitiano, Nerva et Trajano ; obdormivit tandem ad annum usque 1520, nostræ salutis : oscitat adhuc hodie et quasi moribunda labascit.

Sit minus, et puncto videantur cuncta sub uno;
Regula certa licet nequeat Prospectica dici,
Aut complementum Graphidos; sed in arte juvamen
Et modus accelerans operandi : ut corpora falso
Sub visu in multis referens mendosa labascit:
Nam Geometralem nunquam sunt corpora juxta
Mensuram depicta oculis, sed qualia visa.
   Non eadem formæ species, non omnibus ætas
Æqualis, similisque color, crinesque figuris :
Nam variis velut orta plagis gens dispare vultu.
   Singula membra suo capiti conformia fiant
Unum idemque simul corpus cum vestibus ipsis:
Mutorumque silens Positura imitabitur actus.
   Prima figurarum seu princeps dramatis ultro
Prosiliat media in tabula sub lumine primo
Pulchrior ante alias, reliquis nec operta figuris.
   Agglomerata simul sint membra, ipsæque figuræ
Stipentur circumque globos locus usque vacabit;
Ne male dispersis, dum visus ubique figuris
Dividitur, cunctisque operis fervente tumultu
Partibus implicitis crepitans confusio surgat.
   Inque figurarum cumulis non omnibus idem
Corporis inflexus, motusque, vel artubus omnes
Conversis pariter non connitantur eodem.
Sed quædam in diversa trahant contraria membra
Transversæque aliis pugnent, et cætera frangant.
Pluribus adversis aversam oppone figuram
Pectoribusque humeros et dextera membra sinistris,
Seu multis constabit opus paucisque figuris.
   Altera pars tabulæ vacuo ne frigida campo
Aut deserta siet, dum pluribus altera formis
Fervida mole sua supreman exurgit ad oram :
Sed tibi sic positis respondeat utraque rebus
Ut si aliquid sursum se parte attollat in una,
Sic aliquid parte ex alia consurgat, et ambas
Æquiparet geminas cumulando æqualiter oras.
Pluribus implicitum personis drama supremo
In genere ut rarum est; multis ita densa figuris
Rarior est tabula excellens; vel adhuc fere nulla (1)

1. Ut ex ore Annibalis Albanus retulit mihi, qui ultra duodecim figuras negabat, optimam fieri posse tabulam in tribus ut opinor partibus quas hic exposuimus.

Præstitit in multis quod vix bene præstat in una
Quippe solet rerum nimio dispersa tumultu
Majestate carere gravi requieque decora (1)
Nec speciosa nitet vacuo nisi libera campo.
Sed si opere in magno plures thema grande requirat
Esse figurarum cumulos, spectabitur una
Machina tota rei, non singula quæque seorsim (2)
Præcipua extremis raro internodia membris
Abdita sint: sed summa pedum vestigia nunquam.
Gratia nulla manet, motusque, vigorque figuras (3)
Retro aliis subter majori ex parte latentes,
Ni capitis motum manibus comitentur agendo.
   Difficiles fugito aspectus contractaque visu
Membra sub ingrato, motusque actusque coactos,
Quodque refert signis, rectos, quodammodo tractus,
Sive parallelos plures simul, et vel acutas
Vel Geometrales (ut quadra, triangula,) formas:
Ingratamque pari signorum ex ordine quamdam
Symmetriam: sed præcipua in contraria semper
Signa volunt duci transversa, ut diximus ante.
Summa igitur ratio signorum habeatur in omni
Composito; dat enim reliquis pretium atque vigorem.
Non ita naturæ astanti sis cuique revinctus,
Hanc præter nihil ut Genio studioque relinquas;
Nec sine teste rei natura, artisque magistra
Quidlibet ingenio memor ut tantummodo rerum
Pingere posse putes; errorum est plurima silva
Multiplicesque viæ, bene agendi terminus unus;
Linea recta velut sola est et mille recurvæ:
Sed juxta Antiquos naturam imitabere pulchram,
Qualem forma rei propria, objectumque requirit (4).
   Non te igitur lateant antiqua numismata, gemmæ,
Vasa, typi, statuæ, cælataque marmora signis:
Quodque refert specie veterum post sæcula mentem;
Splendidior quippe ex illis assurgit imago
Magnaque se rerum facies aperit meditanti:
Tunc nostri tenuem sæcli miserebere sortem

1. Turba multiplex caret majestate.
2. Ut tractanda multitudo in opere grandi.
3. Ut in Raphaele et Julio observatum est.
4. Ex Epistola Raphaelis in litteris Lud. Dulcis.

Cum spes nulla siet rediture æqualis in ævum.
Exquisita siet forma dum sola figura
Pingitur et multis variata coloribus esto.
Lati amplique sinus pannorum et nobilis ordo
Membra sequens subter latitantia lumine et umbra
Exprimet, ille licet transversus sæpe feratur
Et circumfusos pannorum porrigat extra
Membra sinus, non contiguos, ipsisque figuræ
Partibus impressos, quasi pannus adhæreat illis,
Sed modice expressos, cum lumine servet et umbris :
Quæque intermissis passim sunt dissita vanis
Copulet inductis subterve, superve lacernis.
Et membra ut magnis paucisque expressa lacertis
Majestate aliis præstant forma atque decore ;
Haud secus in pannis quos supra optavimus amplos
Perpaucos sinuum flexus, rugasque, striasque,
Membra super versu faciles inducere præstat.
Naturæque rei proprius sit pannus, abundans
Patriciis ; succinctus erit crassusque Bubulcis,
Mancipiis brutus, teneris gracilisque Puellis,
Inque cavis maculisque umbrarum aliquando tumescet, (1)
Lumen ut excipiens, operis qua massa requirit
Latius extendat, sublatisque aggreget umbris.
Nobilia arma juvant virtutum, ornantque figuras,
Qualia Musarum, belli, cultusque Deorum :
Nec sit opus nimium gemmis auroque refertum ;
Rara etenim magno in pretio, sed plurima vili.
Quæ deinde ex vero nequeunt præsente videri.
Prototypum prius illorum formare juvabit.
Conveniat locus atque habitus, ritusque decusque
Servetur ; sit nobilitas, charitumque venustas,
(Rarum homini munus, Cœlo, non Arte petendum).
Naturæ sit ubique tenor ratioque sequenda,
Non vicina pedum tabulata, excelsa tonantis
Astra domus depicta gerent nubesque, notosque ;
Nec mare depressum laquearia summa vel Orcum ;
Marmoreamque feret cannis vaga pergulæ molem :
Congrua sed propria semper statione locentur.

---

211. *Brutus* : que levis (R. de P.)

---

1. Ut Guido Rhenus sæpius et multifariam usus est.

Hæc præter motus animorum et corde repostos
Exprimere affectus, paucisque coloribus ipsam
Pingere posse animam, atque oculis præbere videndam,
Hoc opus, hic labor est: pauci quos æquus amavit
Juppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus :
Dis similes potuere manu miracula tanta.
Hos ego Rhetoribus tractandos desero, tantum
Egregii antiquum memorabo sophisma magistri,
Verius affectus animi vigor exprimit ardens
Solliciti nimium quam sedula cura laboris.
Denique nil sapiat Gotthorum barbara trito
Ornamenta modo, sæclorum et monstra malorum;
Queis ubi bella, famem et pestem, discordia, luxus (1)
Et Romanorum res grandior intulit orbi,
Ingenuæ periere artes, periere superbæ
Artificum moles, sua tunc miracula vidit
Ignibus absumi Pictura, latere coacta
Fornicibus, sortem et reliquam confidere cryptis,
Marmoribusque diu sculptura jacere sepultis.
Imperium interea scelerum gravitate fatiscens
Horrida nox totum invasit, donoque superni
Luminis indignum, errorum caligine mersit,
Impiaque ignaris damnavit sæcla tenebris.

Unde coloratum Graiis huc usque Magistris
Nil superest tantorum hominum quod mente modoque
Nostrates juvet artifices doceatque laborem;
Nec qui *Chromatices* nobis hoc tempore partes
Restituat, quales Zeuxis tractaverat olim.
Hujus quando maga velut arte æquavit Apellem
Pictorum Archigraphum meruitque coloribus altam
Nominis æterni famam toto orbe sonantem :
Hæc quidem ut in tabulis fallax sed grata venustas
Et complementum graphidos (mirabile visu)
Pulchra vocabatur, sed subdola lena sororis.
Non tamen hoc lenocinium, fucusque dolusque
Dedecori fuit unquam illi, sed semper honori,
Laudibus et meritis; hanc ergo nosse juvabit.
Lux varium vivumque dabit, nullum umbra colorem.

1. A Phoca ad Carolum quintum.

Quo magis adversum est corpus lucisque propinquum
Clarius est lumen; nam debilitatur eundo.
Quo magis est corpus directum oculisque propinquum
Conspicitur melius; nam visus hebescit eundo.
Ergo in corporibus quæ visa adversa rotundis (1)
Integra sint, extrema abscedant perdita signis
Confusis, non præcipiti labentur in umbram
Clara gradu nec adumbrata in clara alta repente
Prorumpant, sed erit sensim hinc atque inde meatus
Lucis et umbrarum; capitisque unius ad instar
Totum opus, ex multis quamquam sit partibus unus
Luminis umbrarumque globus tantummodo fiet,
Sive duo vel tres ad summum, ubi grandius esset
Divisum pegma in partes statione remotas.
Sintque ita discreti inter se ratione colorum,
Luminis umbrarumque anteorsum ut corpora clara
Obscura umbrarum requies spectanda relinquat,
Claroque exiliant umbræ atque aspera campo.
   Ac veluti in speculis convexis eminet ante
Asperior reipsa vigor et vis aucta colorum
Partibus adversis; magis et fuga rupta retrorsum
Illorum est (ut visa minus vergentibus oris)
Corporibus dabimus formas hoc more rotundas.
Mente modoque igitur Plastes et Pictor eodem
Dispositum tractabit opus; quæ sculptor in orbem
Atterit, hæc rupto procul abscedente colore
Assequitur Pictor, fugientiaque illa retrorsum
Jam signata minus confusa coloribus aufert: (2)
Anteriora quidem directe adversa, colore
Integra, vivaci, summo cum lumine et umbra
Antrorsum distincta refert velut aspera visu.
Sicque super planum inducit leucoma colores.
Hos velut ex ipsa natura immotus eodem
Intuitu circum statuas daret inde rotundas.
   Densa figurarum solidis quæ corpora formis
Subdita jam tactu non translucent sed opaca

285. *Umbræ* : umbrata (R. d. P.)
303. *Jam :* sunt (R. d. P.).

1. Quæ vertunt ad Perisphæriam.
2. Georgionis Castelli Franci.

In translucendi spatio ut super aera, nubes
Lympida stagna undarum, et inania cætera debent
Asperiora illis prope circumstantibus esse,
Ut distincta magis firmo cum lumine et umbra
Et gravioribus ut sustenta coloribus, inter
Aërias species subsistent semper opaca;
Sed contra procul abscedant perlucida densis
Corporibus leviora; uti nubes, aer et undæ.
   Non poterunt diversa locis duo lumina eadem
In tabula paria admitti, aut æqualia pingi :
Majus at in mediam lumen cadet usque tabellam
Latius infusum, primis qua summa figuris
Res agitur, circumque oras minuetur eundo ;
Utque in progressu jubar attenuatur ab ortu
Solis ad occasum paulatim, et cessat eundo;
Sic tabulis lumen, tota in compage colorum,
Primo a fonte, minus sensim declinat eundo,
Majus ut in statuis per compita stantibus urbis
Lumen habent partes superæ, minus inferiores :
Idem erit in tabulis, major nec umbra vel ater
Membra figurarum intrabit color, atque secabit :
Corpora, sed circum umbra cavis latitabit oberrans.
Atque ita quæretur lux opportuna figuris,
Ut late infusum lumen lata umbra sequatur : (1)
Unde nec immerito fertur Titianus ubique
Lucis et umbrarum normam appellasse *racemum.*
   Purum album esse potest propiusque magisque remotum;
Cum nigro antevenit propius, fugit absque remotum:
Purum autem nigrum antrorsum venit usque propinquum.
Lux fucata suo tingit miscetque colore
Corpora, sicque suo, per quem lux funditur, aër.
   Corpora juncta simul circumfusosque colores
Excipiunt, propriumque aliis radiosa reflectunt.
Pluribus in solidis liquida sub luce propinquis
Participes, mixtosque simul decet esse colores,
Hanc normam Veneti Pictores rite secuti
(Quæ fuit antiquis corruptio dicta colorum).

---

323. *Maior* : majorque (R. d. P.).

---

1. Ex Titiano Tinctoretus retulit Petro Rubenio racemum esse sibi potiorem regulam in omnibus suis majoribus operibus.

Cum plures opere in magno posuere figuras,
Ne conjuncta simul variorum inimica colorum
Congeries formam implicitam et concisa minutis
Membra daret pannis, totam unam quamque figuram
Affini aut uno tantum vestire colore
Sunt soliti, variando tonis tunicamque togamque
Carbaseosque sinus, vel amicum in lumine et umbra
Contiguis circum rebus sociando colorem.
Qua minus est spatii aerii aut qua purior aer,
Cuncta magis distincta patent speciesque reservant;
Quaque magis densus nebulis, aut plurimus aër
Amplum interfuerit spatium porrectus, in auras
Confundet rerum species et perdet inanes.
Anteriora magis semper finita remotis
Incertis dominentur et abscedentibus, idque
More relativo, ut majora minoribus extant.
Cuncta minuta procul massam densantur in unam,
Ut folia arboribus silvarum, et in æquore fluctus
Contigua inter se coeant, sed dissita distent, (1)
Distabuntque tamen grato et discrimine parvo.
Extrema extremis contraria jungere noli;
Sed medio sint usque gradu sociata coloris.
Corporum erit tonus atque color variatus ubique,
Quærat amicitiam retro, ferus emicet ante.
Supremum in tabulis lumen captare diei
Insanus labor artificum, cum attingere tantum
Non pigmenta queant; auream sed vespere lucem
Seu modicam mane albentem, sive ætheris actam
Post hiemem nimbis transfuso sole caducam,
Seu nebulis fultam accipient, tonitruque rubentem.
Lævia quæ lucent veluti cristalla, metalla,
Ligna, ossa et lapides, villosa ut vellera, pelles
Barbæ, aqueique oculi, crines, holoserica, plumæ;
Et liquida, ut stagnans aqua, reflexæque sub undis
Corporeæ species et aquis contermina cuncta,
Subter ad extremum liquide sint picta superque
Luminibus percussa suis, signisque repostis.
Area vel campus tabulæ vagus esto levisque
Abscedat latus, liquideque bene unctus amicis

1. Longobardi in ea observatione mirabiles.

Tota ex mole coloribus, una sive patella;
Quæque cadunt retro in campum confinia campo.
  Vividus esto color nimio non pallidus albo
Adversisque locis ingestus plurimus ardens,
Sed leviter parceque datus vergentibus oris.
Cuncta labore simul coeant velut umbra in eadem.
Tota siet tabula ex una depicta patella.
  Multa ex natura speculum præclara docebit;
Quæque procul sero spatiis spectantur in amplis.
  Dimidia effigies quæ sola vel integra plures
Ante alias posita ad lucem stet proxima visu,
Et latis spectanda locis oculisque remota
Luminis umbrarumque gradu sit picta supremo.
  Partibus in minimis imitatio justa juvabit
Effigiem, alternas referendo tempore eodem
Consimiles partes, cum luminis atque coloris
Compositis justisque tonis, tunc parta labore
Si facili et vegeto micat ardens, viva videtur.
Visa loco angusto tenere pingantur, amico
Juncta colore graduque, procul quæ picta feroci
Sint et inæquali variata colore tonoque.
  Grandia signa volunt spatia ampla ferosque colores.
Lumina lata unctas simul undique copulet umbras
Extremus labor. In tabulas demissa fenestris
Si fuerit lux parva, color clarissimus esto;
Vividus at contra obscurusque in lumine aperto.
  Quæ vacuis divisa cavis vitare memento:
Trita, minuta, simul quæ non stipata dehiscunt,
Barbara, cruda oculis, rugis sulcata colorum,
Luminis umbrarumque tonis æqualia cuncta,
Fœda, cruenta, cruces, obscœna, ingrata, chimeras,
Sordidaque et misera, et vel acuta, vel aspera tactu,
Quæque dabunt formæ temere congesta ruinam,
Implicitasque aliis confundent miscua partes.

  Dumque fugis vitiosa, cave in contraria labi
Damna mali, vitium extremis nam semper inhæret.
  Pulchra gradu summo Graphidos stabilita vetustæ
Nobilibus signis sunt grandia, dissita, pura,
Tersa, velut minime confusa, labore ligata,

---

408. *Sulcata* : fucata (R. d. P.).

Partibus ex magnis paucisque efficta, colorum
Corporibus distincta feris, sed semper amicis.
Qui bene cœpit uti facti jam fertur habere
Dimidium; Picturam ita nil sub limine primo
Ingrediens puer offendit damnosius arti
Quam varia errorum genera ignorante Magistro
Ex pravis libare typis, mentemque veneno
Inficere, in toto quod non abstergitur ævo.
Nec graphidos rudis artis adhuc cito qualiacumque
Corpora viva super studium meditabitur ante
Illorum quam symmetriam, internodia, formam
Noverit, inspectis docto evolvente Magistro
Archetypis, dulcesque dolos præsenserit artis. (1)
Plusque manu ante oculos quam voce docebitur usus.
Quære artem quæcumque juvant, fuge quæque repugnant.
Corpora diversæ naturæ juncta placebunt;
Sic ea quæ facili contempta labore videntur;
Æthereus quippe ignis inest et spiritus illis.
Mente diu versata manu celeranda repenti.
Arsque laborque operis grata sic fraude latebit.
Maxima deinde erit ars, nihil artis inesse videri.
Nec prius inducas tabulæ pigmenta colorum (2)
Expensi quam signa typi stabilita nitescant,
Et menti præsens operis sit pegma futuri.
Prævaleat sensus rationi, quæ officit arti
Conspicuæ, inque oculis tantummodo circinus esto. (3)
Utere doctorum monitis, nec sperne superbus
Discere quæ de te fuerit sententia vulgi.
Est cæcus nam quisque suis in rebus et expers
Judicii, prolemque suam miratur amatque.
Ast ubi consilium deerit sapientis amici,
Id tempus dabit atque mora intermissa labori.
Non facilis tamen ad nutus et inania vulgi
Dicta levis mutabis opus geniumque relinques:
Nam qui parte sua sperat bene posse mereri
Multivaga de plebe, nocet sibi, nec placet ulli.
Cumque opere in proprio soleat se pingere Pictor,
(Prolem adeo sibi ferre parem natura suevit),

1. Ut Zeuxis Titianus et Vandeik usi fuere.
2. Notandum ut maximi momenti.
3. Ex Michaele Angelo.

Proderit imprimis Pictori γνῶθι σεαυτὸν,
Ut data quæ genio colat abstineatque negatis (1).
Fructibus utque suus nunquam est sapor atque venustas
Floribus insueto in fundo præcoce sub anni
Tempore, quos cultus violentus et ignis adegit;
Sic nunquam nimio quæ sunt extorta labore
Et picta invito genio, nunquam illa placebunt.
Vera super meditando, manus labor improbus adsit;
Nec tamen obtundat genium, mentisque vigorem,
Optima nostrorum pars est matutina dierum,
Difficili hanc igitur potiorem impende labori.
Nulla dies abeat quin linea ducta supersit.
Perque vias vultus hominum, motusque notabis
Libertate sua proprios, positasque figuras
Ex sese faciles, ut inobservatus habebis.
Mox quodcumque mari, terris et in aere pulchrum (2)
Contigerit, cartis propera mandare paratis,
Dum præsens animo species tibi fervet hianti.
Non epulis nimis indulget Pictura meroque
Parcit, amicorum quantum ut sermone benigno
Exhaustam reparet mentem recreata, sed inde
Litibus et curis in cælibe libera vita (3)
Secessus procul a turba strepituque remotos
Villarum rurisque beata silentia quærit (4),
Namque recollecto tota incumbente Minerva
Ingenio rerum species præsentior extat,
Commodiusque operis compagem amplectitur omnem.
Infami tibi non potior sit avara peculi
Cura, aurique fames, modica quam sorte beato
Nominis æterni et laudis pruritus habendæ,
Condignæ pulchrorum operum mercedis in ævum.
Judicium, docile ingenium, cor nobile, sensus
Sublimes, solidum corpus, florensque juventa
Commoda res, labor, artis amor, doctusque magister;
Et quamcumque voles occasio porrigat ansam,

489. *Solidum :* firmum (R. d. P.).

1. Ut aiebat Titianus.
2. Ut solebant Titianus et Carracii.
3. Raph. Mich. Annibal.
4. Tranquillitas multum juvat.

Deficiente modo genii quadam indole nata,
Dotibus his tantis, nec adhuc ars tanta paratur;
Distat ab ingenio longe manus. Optima doctis
Censentur quæ prava minus; stat in omnibus error,
Vitaque tam longæ brevior non sufficit arti :
Desinimus nam posse senes cum scire periti
Incipimus, doctamque manum gravat ægra senectus,
Nec gelidis fervet juvenilis in artubus ardor.
   Quare agite, o Juvenes placido quos sidere natos
Paciferæ studia allectant tranquilla Minervæ
Quosque suo fovet igne, sibique optavit alumnos!
Eia agite, atque animis ingentem ingentibus artem
Exercete alacres, dum strenua corda Juventus
Viribus extimulat vegetis, patiensque laborum est;
Dum vacua errorum nulloque imbuta sapore
Pura nitet mens, et rerum studiosa novarum
Præsentes haurit species atque humida servat.
   In geometrali prius Arte parumper adulti (1)
Signa antiqua super Graïorum addiscite formam;
Nec mora nec requies, noctuque diuque labori
Illorum menti atque modo, vos donec agendi
Praxis ab assiduo faciles assueverit usu.
   Mox ubi judicium emensis adoleverit annis,
Singula quæ celebrant primæ exemplaria classis
Romani, Veneti, Parmenses, atque Bononi
Partibus in cunctis pedetentim atque ordine certo,
Ut monitum supra est, vos expendisse juvabit.
Hos apud invenit *Raphael* miracula summo
Ducta modo, veneresque habuit quas nemo deinceps.
Quidquid erat formæ scivit *Bonarota* potenter;
Julius a puero Musarum eductus in antris
Aonias reseravit opes, graphicaque Poesi
Quæ non visa prius sed tantum audita Poetis:
Ante oculos spectanda dedit sacraria Phœbi;
Quæque coronatis complevit bella triumphis
Heroum fortuna potens, casusque decoros

---

492. Ni genius quidam adfuerit sidusque benignum (R. d. P.).
495. *Stat in :* latet (R. d. P.).
507. *Studiosa* : sitibunda (R. d. P.).

---

1. Hoc ab Albano audivi.

Nobilius reipsa antiqua pinxisse videtur.
Clarior ante alios *Corregius* extitit ampla
Luce superfusa circum coeuntibus umbris,
Pingendique modo grandi et tractando colore
Corpora. Amicitiamque, gradusque, dolosque colorum,
Compagemque ita disposuit *Titianus*, ut inde
Divus appellatus, magnis sit honoribus auctus
Fortunæque bonis : quos sedulus *Annibal* omnes
In propriam mentem atque modum mira Arte coegit.
Plurimus inde labor tabulas imitando juvabit
Egregias, operumque typos : sed plura docebit
Natura ante oculos præsens; nam firmat et auget
Vim genii, ex illaque artem experientia complet (1).
Multa supersileo quæ commentaria dicent.
Hæc ego (cum memorer subitura volubilis ævi
Cuncta vices, variisque olim peritura ruinis)
Pauca sophismata sum graphica immortalibus ausus
Credere Pieriis, Romæ meditatus, ad Alpes
Dum super insanas moles inimicaque castra
Borbonidum decus et vindex Ludovicus avorum
Fulminat ardenti dextra, patriæque resurgens
Gallicus Alcides, premit Hispani ora Leonis (2).

---

542. *Cum memorer* : dum memoror (R. d. P.).

---

1. Cum auctoritate Græcorum et Latinorum.
2. Romæ. Anno 1640 et quinque sequentibus annis.

FINIS

INDEX OPERUM

Non voluimus unquam Carolo Dufresnoy ut pictori proprie studere. Ejus enim tabulæ non tanti momenti sunt quanti doctrinæ. Sed per hoc opusculum nonnulla exempla sumere conati sumus ex ejus operibus quæ novimus. Satis emendatæ et puræ, sed non peritia valentes, ejus picturæ memoriam nobis revocant hujus pingendi modi « timidi » quem incusabant Caroli Dufresnoy æquales. Non illius dignitatis gravissimæ et fortissimæ quam laudabat et suadebat pictor exempla præbent, nec facile est, inter alias virtutes, animadvertere quantum in iis valuerit illa de colore cura quam apud scriptorem supra notavimus.

Denique illa opera quæ parum multa fuisse videntur (Villot credit non amplius quam quinquaginta tabulas a Carolo Dufresnoy pictas fuisse) in maxime diversis locis hodie quærenda sunt, quorum satis pauca nobis nota sunt.

Quæ duæ tabulæ in *Louvre* erant, et in Musæi tabularum indice nunc etiam notantur, jam non expositæ sunt. Putavimus tamen utile fore hoc loco indicare quascumque hodie servatas videre aut cognoscere potuerimus.

I

Sainte Marguerite. — H. 2^{m}30, L. 1^{m}70.

Ex ecclesia *Sainte Marguerite*, Parisiis.

Cf. Villot, *Musée du Louvre, Ecole française*, n° 212. — *Landon*, I., pl. 28. — Ch. Blanc, *Histoire des peintres*. — *Dufresnoy*. — *fig.*

(Nunc Musée d'Evreux).

Sancta stat, capite ad sinistram converso, oculis ad cœlum versis, et sub pedibus draconem conculcat. Hujus tabulæ compositio multum congruit cum illa Raphaelis.

Nymphes et Naïades. — H. 2^{m}36, L. 1^{m}45.

(Musée du Louvre).

Cf. Villot, *Ec. française*, n° 213. — *Cat. somm. des peintures*, 1900, n° 274. — Landon, I, 39.

Prima et dextra fronte sedet naïas aversa prope rivulum; nonnullæ aliæ sinistra parte in ripa et inter arundines. Campus; vallis cum arboribus et rupibus more classico ordinatis.

Vénus et les Grâces. — H. 1^{m}02, L. 1^{m}36.

Suscriptum : C. A. Dufresnoy f. 1647.

(Potsdam, Neues Palais. Coll. Frédéric II.)

Cf. Seidel, *Œuvres d'art françaises du* XVIII^{e} *siècle appartenant à S. M. l'empereur d'Allemagne.* Berlin, 1900. — N° 33.

Venerem ex concha descendentem tres Gratiæ accipiunt dona ferentes et templum in orbem circumactum monstrant in tabulæ dextra parte.

Vénus et les Amours. — H. 1^{m}02, L. 1^{m}37.

Id. Cf., *Ibid.*, n° 34.

Venus ex unda egrediens, sedet prope rivulum; quam comitatur Amorum turba cum floribus ludentium.

(Priori tabulæ hæc opponitur.)

Nymphe assise près d'une rivière.

(Musée d'Epinal.)

Simillimum est argumentum cum illis supra notatis.

Vision d'Alcmène.

(Galerie Czernin, Vienne.)

Alcmena in ingenti lecto dormiens semi-nuda recubat, dextra tabulæ parte sito. Media autem tabula, famula in cubitum mensæ imposita dormire videtur. In aere Minerva volitat cum duobus Amoribus clypeum gerentibus. Digito indicat locum quemdam ubi feminæ semi-nudæ lavantur et vestimenta abluunt.

Non aperte ceterum dicere possumus de qua fabula hic significetur. Fortasse de Alcmena non agitur.

Mort de Socrate.

(Florence, Musée des Offices.)

Catalogue n° 694. — Cf. Lafenestre. *Florence*, p. 74-349.

Dextra tabulæ parte in carcere Socrates sedens cicutam bibit. Ejus discipuli eum comitantur; alii in terra sidentes alii stantes. vehementi gestu dolorem vel admirationem ostentant.

L'Ivresse de Noé. — H. 1^{m}35, L. 1^{m}72.

(Musée de Caen.) — *Cf. Catalogue* n° 162.

Noe recubat dormiens et nudus. Cham, filius, eum deridet, dum ejus fratres retro ingressi patrem pallio velant.

(Ex tabula quam dicitur *Andreas Sacchi* pinxisse.)

Vénus couchée. — H. 0^{m},79, L. 1^{m},08.

(In collectione privata apud dominam Dabrovska, Varsaviæ). Nuda recubat Vénus, quam contemplantur Satyrus Cupidoque.

Quam tabulam creditur Dufresnoy ex quadam Titiani Venere recubante pinxisse. (Vide supra p. 20).

Armide abandonnée par Renaud.

Cf. Charles Blanc, *Notice sur Dufresnoy.* — Vente La Reynière, 1792 : 1498 f. — *Id.*, 1797 : 620 f.

Christ.

Cf. Perkins Cyclopedia of Painting.

Sujet biblique.

Cf. *Guédy*, Dictionn. des artistes de l'école française. — Vente 1890 : 320 f.

II

UNA CUM PETRO MIGNARD FACTA

Jugement de Midas.

(Musée de Lille.) « Envoi de l'Etat », 1801. — Cf. Catalogue 1893, n° 513. — Gonse, *Gaz. Beaux-Arts*, 1874, t. IX, p. 144. — Braquehaye, *Réun. des Soc. B. A. des départ.* — Cf. supra, p. 22.

Midas inter Apollinem et Marsyam jam judicium dixit. Inter utrumque stat, fucata toga vestitus. Cui Apollo minatur brachium aspero et feroci gestu porrigens.

Aureus campus.

Opera Tholo Ecclesiæ « du Val-de-Grâce » picta.

SCALPTURÆ

Portrait de Sœur Grâce de Valence du tiers-ordre des Minimes (†1606).

Et. Picart le Romain, sc. — *A. D. in.* — Cf. supra, p. 9-10.

Entrevue de St-Nil et de l'Empereur Othon.

Dedicata : Altissimo ac potentissimo D. Bernardo de Foix et de Candalle, duci d'Espernon..... Humilissimus devotissimus et obse-

quentissimus servus *Carolus Du Fresne* D. DD. del et sculp. Venetiæ. *Le Blond, excud.*

Cf. Mariette, *Abecedario*, II, 127. — Supra, p. 21.

Hero et Léandre.

Alfons. Fraxinetus delin. — *F. Poilly*, sc.

Cf. Hecquet, *Catalogue de l'œuvre de F. de Poilly*. Paris, 1752, III, n° 40, p. 78.

Hero de summa turri incumbit lampas in manu ferens. Leandri autem exanimatum corpus in mari prope turrim innatat. In turri ipsa est « clypeus » in quo sciurum videmus, quod Nicolai Fouquet stemmata indicare videtur.

Ex quo fieri potest ut hæc scalptura cum nonnullis aliis Ovidii forsan Metamorphoseon librum, illi dedicatum, illustrarent.

ICONOGRAPHIA

Caroli Alfonsi Dufresnoy effigies ab ipso picta dicitur esse in « Galerie de Copenhague ». (Cf. *Perkins Cyclopedia of Paintings*.) Sed nihil diligenter cognoscere potuimus de hoc opere.

Reperimus autem apud *Villot : Musée du Louvre. Cat. des tabl. de l'éc. française*, n° 79. — *Catal. sommaire*, n° 517.

« Portrait de Dufresnoy, par Charles Le Brun. »

Quae tabula hodie numerum fert 519 et appellatur : « *Charles Le Brun dans sa jeunesse.* » Simillima vero nobis videtur effigiei a Rogerio de Piles scalptæ cui inscribitur : *Carolus Alfonsus Dufresnoy Pictor gallus*, *de Pictura e pingendo et scribendo bene meritus. Obiit anno 1665 ætatis suæ 50.* (Cf. supra p. 26). Additum insuper uni inter exemplaria nostri « Cabinet des Estampes », sed manu scriptum « *R. de Piles, sc.* »

Quod pulcherrimum nec vulgari modo effictum opus, nomen fortasse artificis tradit qui nostram pinxit tabulam, Rogerii scilicet de Piles.

Minime enim vidimus Carolum Dufresnoy in ultimis vitæ temporibus familiariter cum Carolo Le Brun usum fuisse; nec verisimile est ab illo effigiem poetæ et Petri Mignard amici pictam fuisse. Multum etiam abest quin in illa effigie modum Caroli Le Brun et ingenium reperiamus. Attamen qui de hujus vita et operibus scripserunt nunquam ei opus illud non tribuerunt. (Cf. Jouin. *Charles Le Brun*, pp. 305-6, 536.)

Quam effigiem nostra quidem sententia, a Rogerio de Piles et pictam et scalptam, omnes recentiores artifices secuti sunt in poetae vultu effingendo ut Landon (t. VIII, pl. 571), qui ceterum suscripsit « *Dufresnoy pinxit*. Landon direxit » quod non admodum tamen probatum nobis videtur.

INDEX LIBRORUM.

I

POEMATIS VARIÆ EDITIONES ET TRANSLATIONES

Caroli Alfonsi du Fresnoy *de arte graphica liber, sive diathesis graphidos et chromatices, trium picturæ partium, antiquorum ideæ artificum nova restitutio.*

Lutetiæ Parisiorum, apud Claudium Barbin, 1668, in-12.

[Epistola dedicatoria ad Colbertum cui suscribitur C. A. D. F. — Cum paucis latinis adnotationibus.]

L'art de peinture de C. A. Du Fresnoy, *traduit en français avec des remarques nécessaires et très amples,* [par Roger de Piles]. Paris, 1668, in-8.

[Latina epistola... (Cf. supra). — Gallica traductoris præfatio. — Remarques sur l'art de peinture de C. A. du Fresnoy. — Sentiments de C. A. du Fresnoy sur les principaux et meilleurs peintres des derniers siècles.]

— Id. — Deuxième édition. Paris, in-12.

[Opusculo aucta Rogerii de Piles inscripto : *Dialogue sur le coloris* cum : « Figures d'académie pour apprendre à désiner gravées par S.(eb.) L.(e) C.(lerc.) »]

— Id. — Troisième édition, 1684, in-12.
— Id. — Quatrième édition, 1751, in-12.

[Cum amplissima rerum indice et *Explication des termes.*]

— Id. — Amsterdam, 1767, in-12.
— Id. — Cinquième édition, Paris, 1783, in-12.

— M. de Querlon. *L'Ecole d'Uranie* ou *l'Art de peinture,* traduit du latin d'*Alphonse Dufresnoy* et de l'abbé de Marsy. Paris, 1753, 8°.

[Cum Rogerii de Piles adnotationibus, et Mauritii de Querlon præfatione.]

— Watelet. *L'art de peindre,* poème. Nouv. édition augmentée de deux poèmes sur l'art de peindre de M. *C. A. Dufresnoy* et de M. l'abbé de Marsy. Amsterdam, 1761.

— *De Pictura,* carmina elegantissima iterum edidit *Ch. Ad. Klotzius.* Lipsiæ, 1770, 8°.

[Caroli A. Dufresnoy et abbatis de Marsy poemata.]

— Renou. *L'art de peindre,* traduction libre en vers français du poème latin de C.-A. Du Fresnoy avec des remarques. Paris, 1789, 8°.

— Rabany-Beauregard. *L'art de la peinture,* traduction libre et en vers avec des notes critiques et littéraires. Clermont 1810-1822 8°.

— Kératry. *Le guide de l'artiste et de l'amateur contenant le poème de la Peinture de Dufresnoy avec une traduction nouvelle revue par M. Kératry.* Paris, 1824, 8°.

[Cum adnotationibus pictoris Reynolds in gallicum conversis et comitis ipsius de Keratry.]

— Dufresnoy. *L'art de peindre.* Traduction nouvelle en vers français du poème latin de... dédiée aux jeunes artistes par *Henry Bernay* (de Nevers) et publiée par *Levillois ainé.* Paris. Bureau du journal des peintres, 1836, 8°.
[Sequitur *Salon de 1834.*]

— G. R. A. *L'arte de la pittura.* Rome, 1713, 8° fig.

[Dedicatum Carolo Fr. Poerson, « directeur de l'Académie de France à Rome. »]

— I. Ansaldi — Id. — Pescia 1783 8°.

— Samuel Théodore Gerike. *Kurzer Begriff der theoretischen Maler Kunst.* Berlin, 1699, 8°.

— Jos. Widtmaiser von Weintenau. *Pictoriae artis Pandæsia. Die Kunst-Gründe der Zeichnung und Mahlerey.* Vienne 1731, 4°.

— J. A. Lehninger. *Kunst zu malen.* Leipzig, 1863, 8°.

[Cum ceteris poematibus a Watelet et abbate de Marsy scriptis.]

— J. Verhoek. *De Schilder Konst.* Amsterdam, 1733, 8°.

— J. Dryden. *Art of painting.* Londres, 1695, in-4°

[Cum Rogerii de Piles adnotationibus.]

— Id. — 1716, in-8°.

— Id. — 1750, in-8°.

[Cum illustrium pictorum vitis, auctore Graham.]

— Id. — 1769, in-8°.

— J. Wright. — Id. — 1728, in-8°.

— Wills. — Id. — 1754, in-8°.

— W. Mason. — Id. — York 1783.

[Cum pictoris Reynolds adnotationibus.]

II

DE CAROLI-ALFONSI DUFRESNOY VITA ET OPERIBUS QUÆ SCRIPTA SUNT

— R. de Piles. *Abrégé de la vie des peintres avec des réflexions sur leurs ouvrages.* 2ᵉ éd., 1715, p. 483-490.

— Félibien. *Entretiens sur la vie et les ouvrages des plus excellents peintres.* Nouv. édition, 1705, 4 vol. in-12. — T. IV, p. 330-336.

— Dargenville. *Abrégé de la vie des plus fameux peintres.* 1745, in-4°. — T. II, p. 283-286.

— Mariette. *Abecedario* publié par Ph. de Chennevières et A. de Montaiglon, 1853-62. — T. II, 127.

— Abbé de Marsy. *Dictionnaire abrégé de peinture et d'architecture.* 1746, 2 vol. in-12.

— Abbé de Fontenay. *Dictionnaire des artistes.* 1776, 2 vol. in-12. — T. I, p. 616-617.

— Le Carpentier. *Notice sur Du Fresnoy*, lue en séance publique de la Société libre d'Emulation de Rouen, le 9 juin 1812.

Mém. de la Soc. d'Emulation. Rouen, 1812, p. 52-57.

[Extrait d'une *Galerie des peintres célèbres* publiée en 1821.]

— Charles Blanc. *Histoire des peintres. Éc. française*. T. I. *Charles-Alphonse Dufresnoy*.

— Villot. *Musée du Louvre. Catalogue des tableaux de l'Ecole française*. — Notice sur Dufresnoy, p. 130-131.

— M^is^ de Chennevières. *Premiers essais de la théorie de l'art en France. Jacques Restout* etc. (Peintres provinciaux III. 73. 289.)

— Id. — *Hilaire Pader, peintre et poète toulousain*, (ibid T. IV, p. 1-221 præcipue p. 35-90.)

— S. Rocheblave. *L'art français au* XVII^e^ *siècle dans ses rapports avec la littérature*. (Apud Petit de Julleville. *Histoire de la langue et de la litt. franç*. T. V. p. 685-702.)

— Cf. quoque. Zani. *Encyclopedia methodica;* Siret. *Dictionnaire des peintres;* Guédy. *Dictionnaire universel des peintres; Biographie* Michaud; *la Grande Encyclopédie; Allgemeiner Kunstler-Lexikon;* Perkins *Cyclopedia of painting;* Bryan *Biographical Dictionary;* etc., etc.

UNA CUM PETRO MIGNARD

Billet de Mignard et de Dufresnoy à Le Brun. Archives de l'art français. I, (1852), 267-268.

Testament de Mignard. Archives de l'art français. V. (1857) p. 41-51.

— *Reconnaissance d'un emprunt souscrit par Mignard à Ch. A. Dufresnoy*. Nouv. Archives. IX (1882), p. 91.

— Ch. Braquehaye. *Les peintures de Pierre Mignard et d'Alphonse Dufresnoy à Paris*. Réunion des Soc. des B.-Arts des départ., 1894, p. 1158-1165.

— Abbé de Monville. *La vie de Pierre Mignard*. Paris 1730, in-12.

— Lépicié. *Vie de P. Mignard*. (Notice lue à l'Académie en 1743) cum. *Mém. inédits*... Guillet de Saint-Georges, II, 86-97.

— Cte de Caylus. *Vie de Pierre Mignard.* in. *Vie des premiers peintres du Roi depuis M. Le Brun jusqu'à présent.* Paris 1752, T. I.

— Cf. quoque apud R. de Piles, Felibien, Dargenville, etc. quæ de Petri Mignard vita scripta sint.

— Testelin. *Mémoire pour servir à l'histoire de l'Académie* (1648-1664). T. II. — (Publié par Montaiglon, Paris, 1853.)

— Montaiglon. *Procès-verbaux de l'Académie de peinture et sculpture* (1648-1792). (Soc. de l'histoire de l'art français. Paris, 10 vol. 8°.)

— H. Jouin. *Conférences de l'Académie royale de peinture et de sculpture.* Paris, 1883.

— Vitet. *L'Académie royale de peinture et de sculpture.* Paris, 1861, 8°.

— H. Lemonnier. *L'art français au temps de Richelieu et Mazarin.* Paris, 1893, in-12.

— Mis de Chennevières. *Essai sur l'histoire de la peinture française.* Paris, 1894, 4°.

— H. Jouin. *Charles Le Brun et les Arts sous Louis XIV.* 1 vol. 4°.

— H. Chardon. *Les frères Fréart de Chantelou.* Le Mans, 1867, 8°.

— Despois et Ménars. Notice sur *La Gloire du Dôme du Val-de-Grâce.* Molière. Ed. des grands écrivains. T. IX.

III

DE ARTIBUS POEMATA NONNULLA QUÆ POST ILLUD CAROLI DUFRESNOY COMPOSITA SUNT

Hilaire Pader. *La peinture parlante,* Toulouse, 1653.

— Id. — *Songe énigmatique sur la peinture universelle.* Ibid., 1656.

— Ch. Perrault. *La peinture poème.* Paris, 1668.

— Molière. *La Gloire du Val-de-Grâce.* Paris, 1669.

— Attribué à Perrault ou à Mlle Chéron. *La coupe du Val-de-Grâce*, poème publié par le bibliophile Jacob. Jouaust 1880.

— Paul Mignard. *Ode à Le Brun.* 1683, 4° 24 p.

— Félibien. *Songe de Polymathe.* Entretiens. Ed. 1725. T. IV.

— Ant. Coypel. *Epistre en vers d'un père à son fils sur la peinture*, 2e édition, Paris, 1712, 4°.

— Abbé de Marsy. *Pictura. Carmen.* Parisiis, 1730, in-12.

— P. Doissin. *Sculptura. Carmen.* Parisiis, 1752, in-12.

— id. *Scalptura. Carmen.* Parisiis, 1753, in-12.

— Baillet de Saint-Julien. *La peinture*, poème. Paris, 1755.

— Watelet. *L'art de peindre.* Poème avec des réflexions sur les différentes parties de la peinture. Paris, 1760.

— Michel (d'Avignon). *La peinture*, poème. Lyon, 1767.

— A. M. Le Mierre. *La Peinture*, poème. Paris, 1769.

— Antoine Lescallier. *Poème sur la peinture* en 7 chants. Londres, 1778.

— J. B. Lavedan. *Les Arts*, poème en trois chants. Paris, an X.

— de Valori. *La Peinture*, poème en trois chants. Paris, 1809, 8°.

— Girodet-Trioson. *Le Peintre*, poème en six chants. Paris, 1829.

— Fournier des Ormes. *La Peinture.* Poème didactique, 1837.

INDEX RERUM.

Vidi ac perlegi
Lutetiæ Parisiorum in Sorbona
Kal. Mai. MCMI
Facultatis Litterarum in Universitate
Parisiensi Decanus,
A. CROISET.

Typis mandetur
Academiæ Parisiensis
Rector,
GRÉARD.

Paris. — E. Kapp, imprimeur, 83, rue du Bac.

Paris. — E. Kapp, imprimeur, 83, rue du Bac.